





~~10~~


~~Y. d. 307~~

337

oo<sup>l</sup>

~~A. 7. 154~~







Ad usum F. Antonini Linth  
-ing.



Compendium Thaumaturgæ Vitæ

S. LUDOVICI

BERTRANDI

Ord. Prædicatorum, India-  
rum Occidentalium Apostoli;

Quem CLEMENS X. 12. Aprilis

hoc Anno M. DC. LXXI. publico

Canonizationis ritu, Sancto-  
rum Catalogo inscr-

ipfit:

Adornatum, & ex Gallico idiomate, pro  
communiore, ac commodiore usu,  
in linguam Latinam trans-  
latum

Operâ, & labore

R. P. HYACINTHI CUNIBERT

Ord. Prædicatorum S. Theologiæ

Licentiati, ac Professoris.

COLONIÆ,

Typis PETRI STEINBUCHER. Anno 1671





L 57,



REVERENDISSIMO,  
PRÆNOBILI, AMPLISSIMO  
VIRO AC DOMINO,

D. PAVLO AVSSEMIO,

Serenissimi & Reverendissi-  
mi Archiepiscopi & Principis Electoris  
Coloniensis, Vicario in Spiritualibus  
Generali, & Consiliario, Metropolita-  
næ Electoralis, & Collegiatæ Archidia-  
conalis S. Cuniberti Coloniae Deca-  
no respectivè, atque Canonico,  
Presbytero, Capitulari,  
Seniori.

**N**Ovi laborum partus quærere no-  
va solent vel auspicia, vel patro-  
cinia: *Reverendissime, Prænobilis,*  
*Amplissime Vir ac Domine.* Quod si aliàs  
tum vel maximè in operosis librorum  
Incubrationibus observatum cernimus.  
Usurpatam quidem vel scriptorum, vel  
Typographorum illam hucusque con-  
suetudinem sollicitè consideranti, quâ  
non



## DEDICATIO.

non vulgares, sed præclaros, atque insignes partuum suorum implorarunt patronos duplex occurrit causa: tum, ut iugem in illos observantiam, promptissimumque obsequendi studium perpetuis illis monumentis indelebiter testatum facerent: tum etiam, ut ingeniorum illi foetus ex amplitudine nominis tantorum virorum, dignitatem, ac splendorem obtinerent, & ex nobilissima eorundem dignitate adversus inimicos calumniantium invidorum conatus ac latratus præsidium & pondus consequerentur. Et sanè propterea ratio, & necessitas ipsa postulare videtur, quòd opera formis expressa, cum non sint tam dicantium, quam patronorum, tales habeant Meccœnates, quorum præsentia non tam facilè defendi, quàm certò laudem, ac gloriam obtinere valeant.

Hoc est, quòd me movit, *Reverendissime Vicariè*, ut Amplissimo Tuo. Nominis *Compendiũ hoc Vitæ Taumaturgæ S. L. V. DO.*



DEDICATIO.

DOVICI BERTRANDI Ord.  
Prædicat. Valentini Hispani, Indiarum Oc-  
cidentalium Apostoli, quem solenni nu-  
per ritu Sanctiss. Dominus noster Cle-  
mens Papa X. Sanctorum apothecosi ca-  
nonicè deputavit, inscriberem.

Occupavit iam dudum quidem ani-  
mum meum cupido quædam vehemēs,  
atque ardens desiderium aliquo obser-  
vantia genere Amplitudini Tuæ humi-  
liter observiendi: sed hucusque *Præno-  
bilis Dignitas Tua* me deterruit, sicut  
mea me retardavit tenuitas, ac dissuasit  
verecundia. Fecit tamen, imò impulit,  
ut nunc auderem, S. LVDOVICVS  
BERTRANDVS, vel hoc solo nomine:  
tum, quòd ille rarum ac singularem *Re-  
verendissimæ Amplitudinis Tuæ* animum  
erga sacrum Ordinem suum notat; tū  
quia excelsarum virtutum suarū quan-  
dam in Te velut expressam esse gaudet  
imaginem. Sed an solenni præfatoru n  
consuetudine laudibus Tuis hoc loco  
mihi



## DEDICATIO.

mihi etiam liceat laureas texere & scio encomiorum in faciem oblatorum flabella frequenter esse flagella. Absit, ut tanto me temerè exponam periculo. Et vero, sicut neque patitur audire modestia Tua: sic nec mea sufficit infantia parem Meritis Tuis decantare panegyrim. Nolo igitur recensere plura illa lustra, quibus olim in antiquissima Montis Gymnade tam gloriosè desudasti, ut amplius eâ virtus Tua non contineretur; quæ emergere debuit, & ad altiora, gravioraque Reipublicæ commoda sese exercere. Sed [Deus bone!] quantus abis? vidisse juvat, & meminisse iuvabit, Te nunc Serenissimi, & Reverendissimi Principis, ac Domini D. MAXIMILIANI HENRICI Archiepiscopi & Electoris Colon. &c. in spiritualib Vicarium Generalem, nunc Metropolitanæ Electoralis, & Archidiaconalis Collegiatæ S. Cuniberti Colonienſium Ecclesiæ tum respectivè Decanum, ac Prælatum digni-

nissi-




## DEDICATIO.

nissimum, Presbyterum Capitularem Seniore, tantâ cum gloriâ magistratus Tuos administrasse, ut & morum comitate venerationi, & rerum agendarum dexteritate omnibus sis admirationi. Prætereo eruditissimas illas in iudiciis animi sententias, explanatas rerû decisiones, quæ efficiunt, ut moderatissimam illam æquitatem Tuam obstupescant singuli. Omitto ceteras sexcentas alias nominis, ac famę claritudines, ne singularem illam Animi Tui modestiam læsisse videar. Illud unicū interea est demissi animi mei votum, ut *Prænobilis & Amplissima Dignitas Tua* hoc observantiæ debitæ mnemosynon Amplissimo Patrocinio Tuo favore dignetur; neque vero tam donum, quàm animum, neq; tam effectum, quàm affectum in munere pensare; nam

*Et capitur minimo thuris honore Deus.*

Neque, spero, offendet illud, si phrasis incomptior fuerit, volaticosque excuserit





DEDICATIO.

ferit pappos; nam, teste S. August. lib. 4  
de doctrinâ Christianâ c. XI. *Bonorum in-  
geniorum insignis est indoles in verbis verū  
amare, non verba.* Benigne igitur accipe  
*Reverendissime Domine*, Fautor, Me-  
cœnas observandissime, has formarum  
mearum exhibitas Tibi primitias, &  
qualescunque illas sub Amplissimo A-  
larum Tuarum Patrocinio protege. In-  
terim S. LVDOVICVS BERTRAN-  
DVS una mecum DEVM Opt. Max.  
pro Reverendissimæ Amplitudinis Tuæ  
incolumitate noctu diuque rogabit.  
Colonię 1671. 27. Augusti.

Reverendissimę, Proenob. Am-  
plissimęq; Dominationis Tuæ

Obsequiosissimus

fervus

Petrus Steinbuchel  
Typog. Colon.



## Approbationes

Quod hoc Vitæ Sancti LUDOVICI BERTRANDI Compendium à R. P. F. Hyacintho Gunibert S. Theol. Præsentato ex Gallico Latine factum per omnia sit vero consentaneum, probare possem duodecim circiter religiosissimorum, & gravissimorum virorum attestationibus, si eos haberem coram præsentibus, quos ille Sanctus habuit militiæ religiosæ tyrones, & ego reliqui vivos in illo Sanctorum hominum Seminario, Conventu, inquam, nostro Prædicatorum Valentino, quando inde ex Hispaniis Anno 1622. in Germaniam redii. Cum autem etiam plenum sit plurimis vitæ sanctissimè actæ exemplis, si prælo expressum in publicum prodeat, percommodum veniet omnibus, qui piè in Christo vivere volunt, & peritum viæ, quæ fert in cælum, ducem expetunt. Ita censebam in nostro S. Crucis FF. Ord. Prædicatorum Conventu Coloniensi Anno 1671. die 26. Augusti

F. Joannes Freylinck, Ord. Præd.  
S. Theol. Magister.

Cum S. Nazianzenus Orat. de Laudib. S. Basilii eos, qui diuturnâ sui carnificinâ, perpetuis gladiis semetipfos, & non per *compendium mortis*, sed per *continuum vitam* mortificando absumunt, appellet emphaticè *Vivos Martyres*; iisdemque enarrata hoc *Compendio* vita adscribat S. LUDOVICUM BERTRANDUM, quem rpræsentat tanquam *vivum cadaver*, ut ait de S. suo Arcadio  
DIVUS



*Divus Zeno* : dignam publicâ luce *Thaumaturgam*  
*Historiam* censeo, cum nil vel fidei, vel bonis mo-  
ribus adversum, sed plurima contineat, quæ utri-  
usque incremento, vel maximè susceptioni pœni-  
tentia ac sinceræ mortificationi conducant. Da-  
bam Colonia apud Prædicatores Anno 1671, 26.  
Augusti.

F. Henricus Hilden Ord. Præd.  
S. Theol. Magister, ejusdemq;  
publicus in Universitate ibid.  
Professor, ac Generalis studii  
Regens.


### Censura.

CUM compendium hoc Vitæ S. LUDOVICI  
BERTRANDI bonis moribus aut orthodoxæ  
Fidei non adversetur, merito, ut DEI OPT.  
MAX. qui in Sanctis suis gloriosus est, promo-  
veatur gloria, ipsius etiam Sancti virtutes & meri-  
ta pluribus Christi fidelibus innotescant, luce do-  
natur publicâ. Colonia Agrippinæ 31. Augusti  
Anno 1671.

Joannes Francken Sierstorff  
Libr. Censor Ordin.

INDEX






## INDEX CAPITVM.

- Cap. . De Parentibus, Nativitate primisque  
annis S. Ludovici Bertrandi. pag. 1.
- Cap. I. De vocatione, receptione ad habitum,  
& professione S. Ludovici. 7.
- Cap. II. Sanctus Ludovicus Patri in extremis  
assistit, particularia quedam referun-  
tur quae ei contigerunt, tēpore, quo Sep-  
ries Magistrum egit Novitiorum. 12.
- Cap. IV. De his, quae gessit S. Ludovicus exist-  
ens Vicarius in Conventu sanctae An-  
nae de Albayda. 21.
- Cap. V. De profectioe S. Ludovici ad Indias,  
eiusque laboribus septennii spatio ibi  
exantlatis. 28.
- Cap. VI. De maximis fructibus quos septennii  
spatio apud Indos fecit sanctus Lu-  
dovicus. 39.
- Cap. VII. De miraculis quae apud Indos patra-  
vit sanctus Ludovicus. 47.
- Cap. VIII. De reditu sancti Ludovici ex Indiis  
Valentiam. 56.
- Cap. IX. Eligitur Prior in Conventu sancti O-  
nuphrii & quae ab illo per id tempus  
gesta, reseruntur. 62.
- Cap. X. Sanctus Ludovicus Valentiam rever-



- titur, denuo Novitiis praeficitur, plura  
miracula edit. 69
- Cap. XI. Eligitur Prior Convenus Valentini,  
modus, quo ad illud officium admini-  
strandum usus fuit, exponitur. 76
- Cap. XII. In quo ostenditur quanta prophetia  
& discretionis cordium gratia floru-  
erit. 88
- Cap. XIII. De precipuis virtutibus sancti Lu-  
dovici ac primo de eius oratione. 108
- Cap. XIV. De ardentissima eius in Deum &  
proximum charitate. 108
- Cap. XV. De spiritu mortificationis, poeniten-  
tia, humilitatis sancti Ludovici Ber-  
trandi. 113
- Cap. XVI. De gravibus infirmitatibus sancti  
Ludovici, & de his, quae gessit vlti-  
mo anno vitae suae 1581. 121
- Cap. XVII. De felicissima morte sancti Ludo-  
vici anno 1581. 19. Octobris. 130
- Cap. XVIII. De Exequiis sancti Ludovici Ber-  
trandi, & translatione corporis  
eius. 138
- Cap. XIX. De apparitionibus gloriosis, & re-  
velationibus sancti Ludovici Ber-  
trandi beatitudo demonstrata est. 147
- Cap. XX. De Beatificatione, & Canonizatione  
sancti Ludovici Bertrandi. 165





Vita

S. LVDOVICI BER-  
TRANDI.

Ordinis Prædicatorum,

Nuper à CLEMENTE X. Sancto-  
rum Catalogo adscripti.

CAPVT I.

De Parentibus, Natvitate, primisque  
Annis S. LVDOVICI BER-  
TRANDI.



On immeritò admiranda ve-  
nit, mox in ipso huius vitæ  
principio, divinæ sapientiæ er-  
ga suos electos dispositio: jam  
enim à ducentis ferè annis, S.

Vincentii Ferrerii spiritu prophético futu-  
ra prospiciens, Conventui Valentino [ ubi  
is tunc sanctitatis fama florebat ) prædixe-  
rat, nunquam in eo defuturum, qui sancti-

A

tatis



tatis opinione clarus haberetur. Huius præ-  
elari vaticinii primus etsi non tempore, dig-  
nitate tamen partus fuit S. Ludouicus Ber-  
trandus, cuius, sicut & parentum, tutor ac  
protector, constitutus, fuit à Deo S. Vin-  
centius Ferrerius.

Natus est itaque S. Ludouicus piis, ho-  
nestisque parentibus Valentia in Hispania,  
in ipso anni 1526. exordio, ipsa Dominicæ  
Circumcisionis die, Matre Joanna Angeli-  
ca Exarc, Patre verò Joanne Ludouico Ber-  
trando, publico Ciuitatis Valentinae Nota-  
rio, qui futuræ prolis causâ, multis auctus  
est à S. Vincentio Ferrerio, naturæ, gratiæ-  
que beneficiis; nam & faciem ferè adustam  
adhuc puer, eiusdem sancti ope recuperauit  
& matrimonio junctus à lethali infirmitate  
S. Vincentii, & S. Brunonis sibi apparentiū  
ope repente liberatus est; quo fauore affe-  
ctus, cum Carthusianæ Religionis desiderio  
flagraret, ac valedicturus mundo Carthu-  
siam versus iter capesceret, ab apparentibus  
sibi in viâ SS. Vincentio, ac Brunone iussus  
ad sæculum redire, ubi elapso per exiguo  
tempore, secundas iniit nuptias, sortitus  
uxorem honestissimam, pari passu in viâ vir-  
tutis



tutis ambulante, Dominam Joannam Angelicam Exarc quæ divinâ providente gratiâ, primâ die anni 1526 infanter Ludouicum fælicissimè enixa est.

Præmogenituræ dignitatem sortitus inter tres fratres, & quatuor sorores, ampliori quoque cæteris, meruit benedictione cumulari & hac imprimis, quod ex eodem, quo S. Vincentius Ferrerius, fonte baptismali, in Ecclesia S. Stephani, in Christo regeneratus, vbi parentis sui nomine Ioannes Ludouicus Bertrandus, appellatus est, quamvis deinceps solùm, Ludouicus Bertrandus, vocari consueverit. Fratres habuit omni laude conspicuos, quorum primus, Michael Hieronymus Bertrandus Ecclesiæ Cathedralis Valentiniæ Canonicus, ac deinde Magister, vt vocant, *Del seo*, effectus, felicissimè migravit è vitâ anno 1594. 4. Iuly, annum agens 62. sepultusque est juxta S. Ludouici tumulum, vbi & pyssimorum parentum corpora, in die Domini simul vivificanda requiescunt. Alter fuit Ioannes Baptista Bertrandus, qui S. Ludouici vestigijs insistens Prædicatorum Ordinem Valentiniæ amplexus est, vbi evoluta perquam religiosè



religiosè sub disciplinâ fratris sui, probationis anno, studiorum causâ Bononiam missus, post absolutis cum in Hispaniam rediret, compulso tempestatis vi in Insulam Sardiniam navigio, multisque longissimi itineris fractus laboribus, in febrim incidit, quâ è vivis abstractus est, ac sepultus Calle-rii in conventu S. Dominici.

Tertius denique fuit Iacobus Bertrandus, qui reservatus mundo, post quartum in vrbe, ac Regno Valentia administratû gloriosè consulatum, nec non Magistri comitum præfecturam prudenter gestam, vir per omnia laudabilis, ac de Regno perquâ optimè meritus, in senectute bonâ vivens anno 1608. Iurium Regalium Quæstor Generalis constitutus fuit. Ejus insignis posteritas S. Ludovici meritis gloriosis hodie quàm maximè floret, & antiquam commendat Bertrandorum familiam; verum ad Ludovicum in teneris agentem redeamus.

Erat puerulus à naturâ tristis, tetricus, submorosus, severus ac meditabundus, cui sola solitudo cordi sola suspiria ac gemitus grata esse videbantur, qui nec prius à vagitu cessabat, quàm in Ecclesiam de-  
ferretur



ferretur, aut cuiuspiã sancti imago illi por-  
rigeret. Adolefcens æqualium confortia vi-  
tabat, ludorum, fabularumque ignarus, fo-  
ris rarus, domi affiduus in silentio erat, fem-  
per sibi intentus, sedatus, in sermone parcus  
modestus, vultum præferens multæ recol-  
lectionis ac taciturnitatis indicem. At vbi  
paulatim cœpit in ejus animo exoriri ratio-  
nis lumen, remisit, ac deferbuit nonnihil  
tetricitas illa, ac lugubris melancoliæ spiri-  
tus, didicitque inferioris partis motus & af-  
fectus, rationis dictamine, & internarum  
consolationum suavitate moderari; inde in  
familiari conversatione effabilis, domi vigi-  
lans, ac solers, in sermone prudēs ac discret⁹,  
promptus ad omnia, habilisque evasit. In  
componendâ ejus ad virtutē iuventute, non  
parum contulisse dignoscitur R. P. Ambro-  
sius à Iesu Ordinis Minimorum Prædicator  
Eximius, à quo certissima spiritualis vitæ do-  
cumenta capiens, in Dei amore tantopere  
profecit, ut annum agens decimum quintū,  
totius perfectionis exemplar appareret.

Ad eum autem statum mox pervenit, ut  
non satiaretur cor ejus dulcedine divinissimi  
Sacramenti, eoquē solito frequentius refi-

A 3

ceretur



ceretur, verum ne eâ communicandi frequentia ab aliis notaretur, in diversis Ecclesiis panem hunc cœlestem quærebat. Implebatur indies anima ejus pinguedine salutaris edulii, & illustrabatur cognitione mysteriorum vitæ Christi Salvatoris nostri, ejus humilitati avidissimè cupiens conformari, Sanctorum Alexii, & Rochi exempla statuit sibi imitanda, assumptoque peregrini habitu, insciis parentibus, relictâ ad parentes epistolâ, Valentiam discessit. Verum quia in eo divina gratia relucebat, aspectuque erat amabilis, nemo illum intueri poterat, cujus non in se raperet oculos, idcirco quantumvis peregrini habitu occultari magis, quam innotescere optaret, ac studeret, latere tamen haud potuit, quin ab aliquo agnosceretur, qui Valentiam protinus advolans, de statu Ludovici patrem certiore fecit. Ablegantur itaque subito nuntii in Bugnok [vrbs est miliaribus septem Valentiam distans] vbi juxta fontem repertus & mandato Patris domum reductus, parentum in cœrorem omnem absterxit, totiusque familiæ luctum, vertit in gaudium & exultationem.

Ab eo tempore cernens Pater, nullâ ratione

tione



tione posse illi conjugii statum persuaderi, clericali habitu indutum permisit vivere ut vellet, juxta Spiritus S. instinctum, & pii, prudentisq; Confessarii directionem. Hinc cœpit inopum, ægrorumq; domos frequentare, Xenodoxia obire, in quibus subinde diu noctuq; instar conductitii servi ministrabat; His charitatis officiis & rigidissimæ in se ipsum disciplinæ eximiam ad omnes domesticos mansuetudinem adjungebat, & promptissimam erga parentes obedientiam, adeo ut qui ei cohabitarunt, nullam vnquam parentibus vel levissimæ iracundiæ, aut impatientiæ causam ab eo fuisse præstitam, testati sint: At verò si Matrem ad iram procliviorē moveri subinde, ac duriusculè in famulas invehi conspexisset, accurrisse subito, extraxisse libellum, ac salutari quadam sententiâ ex eo prælectâ, iram Matris placavisse.

## CAPUT II.

*De Vocatione, Receptione ad Habitu, & Professione S. Ludovici Bertrandi.*

**E**lectus igitur ad sacram Prædicatorum familiam Ludovicus, cœpit sensum trahi & inardescere maiori eius amore, ac deside-



rio; vnde disponente omnia more suo, suaviter supernâ providentiâ, meruit hac ratione ad eam pervenire. Desierat inter vivos esse, optimus vitæ eius director Pater Ambrosius à Iesu, subitanâ quidem, sed non improvissâ morte, hanc enim antea prædixerat: Quare prima cura fuit Ludovico, de eligendo novo Confessore, qui perfectionis viam ei ostenderet; invenit autem inter Prædicatoriæ familiæ Alumnos, virum per omnia clarissimum, Patrem Laurentium Lopez SS. Theologiæ Magistrum, Conventusq; Valentini Priorem. Hic Adolescentis indole compertâ tam pretioso thesauro mundum indignum ratus, ad amplexandum Dominicanæ familiæ institutum, cum est adhortatus. Erat id currenti calcar duntaxat addere. Quare cum instanter sacri habitus compos fieri postulasset, R. P. Prioris sponse, de futurâ mox investitione tandem redditur securus. Quod ubi rescivit eius parens, tantâ rationum vi, & efficacitate apud Priorem egit, vt is sponse rescissâ, nunquam à se ad Ordinem admittendum fore promiserit. Non latuit hoc sanctum Adolescentem, qui quanquam eo nuntio non mediocriter affligeretur, Dei tamen amo-



re, qui electos suos probat, leuius ferebat. Interea Prædicatoriam domum assidue frequentabat, fratres visitabat, & vt retulit Venerabilis P. Dominicus Anadon Conuentus portarius major, & eleemosynarum dispensator, vir sanctitatis opinione clarissimus, nonnullas arbores juxta S. Vincentii cellulam irrigabat; cuius causam quæsitus fertur respondisse, ne aquæ defectu areicerent, perirentq; tam nobiles, dignæq; isto labore arbores; quibus fortè significabantur vivæ illæ Novitiatus plantulæ, quas erat quandoquæ spiritualis doctrinæ aquâ rigaturus. Erat tunc Novitiorum Magister felicissimæ memoriæ, P. Micon, qui Iacobo Ferrando in officio Priorali postea successit; Hic vt beatissimi Adolescentis constantiam fervoremque vidit, non attentâ ejus tenui valetudine, posthabitisq; patris eius rationibus benè fretus in Domino, Ludovicum sacro habitu vestiuit, Anno 1544. 26. Augusti, ætatis suæ decimo octavo.

Ea res ad parentes delata graviter universam commouit, turbavitque familiam, nullumque non moverunt lapidem, vt à proposito filium dimoverent; at ille diu noctuque

A s

orationi



orationi vacans suam Domino constantiam commendabat, donec in conspectum patris adductus, omnes ejus frivolas rationes dissolvisset, illumque in sententiam suam pertraxisset; quod & factum est; cunctis applaudentibus & congratulantibus Ludovico. Itaque rebus cum patre compositis unanimi omnium suffragio ad professionem receptus fuit à Venerabili P. Joanne Micon Anno 1545. 27. Augusti. Inde cœpit novellus Christi miles avidissimè ad virtutem aspirare, & debilitatis suæ causâ non metuens ultra repulsam, suo corpusculo bellum indicare, crebris carnem macerare jeuniis, durisque subigere flagris, catenis ferreis, aliisque propriâ industriâ adinventis, confectisque pœnitentiæ instrumentis.

Verum etsi aspera illa, ac rigida vivendi ratio eum mundanis privaret solatiis, divinarum tamen rerum contemplationi multo aptiorem reddebat, aptabatque cœlestibus consolationibus, quibus ita copiose mens ejus explebatur, vt non nisi de Deo cogitare, aut loqui posset: Inter has autem delicias spiritus ingerebat se quædam amaritudo animi, ex studiorum scolasticorum tractatione

tione



tionem originem trahens, quibus si ennixius vacaret, grandem devotionis jacturam se passurum arbitrabatur, eamque ob rem animum avocare à studiis constituit, at ipse devotionis, orationisque spiritu erudiente, postmodum comperit, non solum orationi non esse obstaculo, studia discretè assumpta, verum potius adjumento maximo, eò quod animus suis successivè operationibus vacans diversitate plurimum releuetur, habiliorque ad reiterandas functiones efficiatur.

Quapropter ad repetenda studia animum adjunxit, ac Ducem & patronum elegit S. Thomam Aquinatem, cuius doctrina deinceps adeò fuit addictus, ut Magister Novitiorum, ac in diuersis locis existens Prior, vnumquemque ad studia excitaret, dicens experientiã se didicisse fratres studiis deditos, pietate quoque ac contemplationis gratiã cæteris præstantiores, minusque periculo suspectæ conversationis expositos fuisse: ideoque viros eruditos amore singulari prosequeretur, & ut plurimum eorum familiaritate utebatur.

Per id tempus in morbum incidit, missusque fuit recuperandæ valetudinis causâ



ad Conventum S. Matthæi ubi eximia patientiæ, & humilitatis exempla reliquit; Deinde Valentiam revocatus annum agens vigesimum secundum ad sacerdotium promotus, primitias Deo optimo Maximo devotissimè litavit anno Domini 1547. 23. Octobris; Cernens autem eius loci Prior R. P. Ioannes Micon diuinam in eo relucere, ac rectas perfectionis vias tenere, eius familiaritate crebriùs uti cœpit, eumque comitè sibi adiunxit Lobayam (ubi is prior electus erat) profectus, vt eius ope & industria in novo Conventu Regularem observantiam stabiliret, ubi cum mentis spatio moratus fuisset, quadam die orationi intentus, patrem morti propinquum esse cognovit, eodem; die id ipsum nuntius, qui revocaturus Ludovicum Valentiam, advenerat, confirmavit.

### C A P V T III.

*S. Ludovicus Patri in extremis assistens particularia quadam referuntur quæ ei contigerant, tempore, quæ septies Magistrum egit Novitiorum.*

Acceptâ itaque benedictione Valentiam reversus est, moxque Patrem invisit, quæ  
 MORI



morti vicinum reperit, egitque quod, eo casu exigebat in Patrem filialis obligatio, non intermittens diu, noctuque hortari ad constantiam, excitare ad pœnitentiam, totisque viribus id efficere, ut fœlicem mortem parenti obtineret, quam tandem aspexit, 9. Decemb. 1548. Ecclesiæ Sacramentis ritè munitus, sed non purgatorii flammam evasit, revelatum namque fuit sancto viro, Patrem octennii spatio purgatorias ignibus adjudicatum esse; quo tempore, ut in eius animo major erga afflictum Patrem compassio nasceretur, diuina permissione factum est, ut sæpius die ac nocte, patris animam horrendis tormentis cruciatam cerneret, audiretque inclamantem. *Fili mi Ludovice succurre. Fili mi ora pro me.* Afflixit vehementer ea visionum frequentia virum sanctum, & pro salute parentis, tam crebris ieiuniis, & tot pœnitentiæ asperioris operibus se maceravit, ut in eo vix hominis species, sed imago mortis appareret. Elapso octennio vidit in amœnissimo horto patris animam, quæ gratis filio peractis, in cœlum evolauit.

Cum igitur Patres Valentini tam rara in eo virtutis, & mortificationis exempla conspicerent



spicerent, Novitiorum curam ei demandarunt. Quo in munere ita se gessit, ut neminem posthac in eà functione sibi parem habuerit. Plura reliqua documenta notatu dignissima, ad Novitiorum instructionem perquam necessaria, quæ brevitatis causa omitto, singularia quædam solum referam quæ ei contigerunt tempore, quo septies Magistrum Novitiorum egit.

Quanquam vir sanctus in alios benignissimus esset, & materna erga fratres suos viscera gereret, erat tamen in se ipsum severissimus, & debilem carnem continuis disciplinis spiritui servire compellebat, adeo ut & cruore respersi cellulæ eius parietes, admirabilem eius vitam testarentur. Accidit ut à Novitio quodam in eiusmodi corporis laniatione reperiretur; qui rei novitate obstupefactus, eà quæ par est reverentia minatus est, se rem ad Priorem delaturum, nisi ab atroci illà sui ipsius carnificatione desisteret; at ille emendationem pollicitus, ne id faceret rogabat. In celebrandis fratrum capitulis rigidissimus erat, ut qui suà manu non raro usque ad sanguinis effusionem flagra infligeret, tantoque spiritus fervore minutas

quasq;



quasq; eorum culpas exaggeraret, & corri-  
geret, vt ad illius decretorias exhortationes  
velut ad reddendas Deo extremas rationes  
conuenirent. Interroganti autem cuidam  
patri, tantæ severitatis causâ respondit, quod  
leues culpas grauius plecteret, id fieri, vt  
Novitii quidem ordinis disciplinam addis-  
cerent, rigorem experirentur, nec vllam ig-  
norantiæ causam prætenderent: Professi ve-  
ro in hac vitâ puniti, purgatorii pœnas eva-  
derent. Immodicam hanc illius austeritatē  
non nemo parum probare visus est, sed ille  
non legit, apud S. Chrysostrumum *Homil. 19*  
*in Matth.* quod Christus Discipulos suos  
& vocavit, & voluit esse salem terræ; vt om-  
nes intelligerent quod non posuit *mediocres*  
*magistros, sed seueros quosdam, atque terri-*  
*biles,* qui ad mordere vitia, & purulenta vul-  
nera ferro secare, carcinomataq; etiam cau-  
terio curare scirent. Cum interea Religio-  
sæ iuventutis educationi strenuè intenderet  
Deo ita permittente, eâ se curâ abdicare  
constituit, studiorum amore incitatus, atq;  
obtentis à Reuerendissimo Patre Magistro  
Generali pro studio Salmanticensi pa-  
tentibus contradicente & modis omnibus  
dissua-



dissuadente, P. Ioanne Micon, optimo eius  
 amico, Valentia discessit, incredibili omnium  
 Religiosorum dolore, & displicentia. At ubi  
 Castellæ Regnum feliciter attigisset, non  
 permisit Deus (cui eius intentionis puritas  
 nota erat) ultra eum procedere. Erat in Ci-  
 vitate Haro Pater quidam valde deuotus, ac  
 spiritualis; hic ubi cum Ludovico nonnihil  
 communicasset, cognovit eius propositum  
 divinæ voluntati parum conforme esse, sua-  
 sitq; ut in Provinciã suam rediret, ageretq;  
 quæ sibi à superioribus mandarētur. Pla-  
 cuit ei consilium, & mox relictã Salmantica  
 Valentiam reversus, denuò Novitiis edu-  
 candis præfectus est.

Per id tempus graves de beatitudine cœ-  
 lesti amittendã tentationes patiebatur, adeò  
 ut non rarò coram Novitiis suis, tempore  
 recreationis in lachrymas solveretur, seque  
 in cellulam suam recipere cogeretur, ubi  
 cum fletus causam fratres quærerent, altum  
 suspirans dicebat. *Ab fratres mei nos hic bi-  
 bimus, & manducamus, & ridemus, & ego  
 miser nescio quis futurus sit vite mee finis.*  
 Cum autem fratres vellent illum ab hac co-  
 gitatione avertere, adducebat illud Prov. 28.

Beatus



*Beatus homo qui semper est pavidus.* Cuidam familiari fratri dixit, sibi nocte evigilanti, tam vivam subinde majestatis Divinæ altitudinem representari, vt totum corpus tremor occuparet omniaq; eius ossa fragore perstreperent. Revelabat ei quadam vice Novitius sua exercitia, & inter alia visiones nonnullas, quibus se à Deo honoratum arbitrabatur; cui B. Vir, sciens eiusmodi favoribus nonnisi probatæ sanctitatis viros solere excoli, respondit, visiones eius Diaboli esse illusiones, ipsum quoq; non diu in Ordine permanfurum, quo etiam postea, vt prædixerat, evenit. Alia vice vocavit ad se quatuor Novitios, dixitque. *Fratres mei disponite vos ad mortem, vestrum enim vnus hoc anno morietur.* Elapso trimestri eorum vnus è vita discessit, cæteri non diu supervixerunt.

Binis navibus Mauri piratæ ferebantur per mare Valentinae vrbi vicinum, invehebanturq; infrumentarias, aliasq; onerarias mercatorias rates, nec harum direptione contenti etiam homines in duram servitutē adducebant, & quos in navibus; & quos in patentibus littori vicinioribus pagis tumultuariâ



tuaria prædatione obtinere poterant. Inno-  
 tuerunt ista Bertrando, & sancto zelo in-  
 flammatus, convocatis ad orationem Fra-  
 tribus, talia vociferabundus dixit: Quomo-  
 do potest tolerari, charissimi Filii, quod  
 barbari isti Mauri in nostris finibus tam fe-  
 rociter sæviant, & grassentur, & ob oculos  
 nostros facultatibus suis nundinatores ex-  
 uant, & ab vxoribus maritos, filios à paren-  
 tibus, à patriâ cives abstrahant, & ex inge-  
 nuis vilia mancipia faciant, & primùm in  
 vincula, tum & in fidei periculum conjiciât.  
 Dissimulent hæc alii, qui rebus suis salvis &  
 in tuto positis nec Dei injuriam nec proxi-  
 morum miseriam cordi habent, nobis hic  
 conuiuere non licet, sed necessum est, vt  
 vel Dei honoris, animarumque salutis ne-  
 gligentes censeamur, vel nihil prætermitta-  
 mus earum rerum, quibus tam efferati præ-  
 dones ab oris nostris propulsari queant.  
 Itaque ad arma, fratres, ad arma Religiosi  
 militia Christi Tyrones. Arma autem *mili-  
 tia nostra non carnalia sunt sed potentia Deo  
 ad muritionum destructionem.* Arma nostra  
 sunt Psalterium Davidicum, & Marianum,  
 & omne genus orationum, in quibus posi-



ta est omnis armatura fortium. Arripiamus hæc arma & flagrantium orationum arden-tes sagittas tota pectoris contétione in istas hominum pestes jaculemur. Hæc dixit, & omnes in terram submissis poplitibus ex Psalmis Davidicis hos *Domine quis similis tibi. &c. Deus laudem meam ne tacueris, & Deus venerunt gentes &c.* velut classicum canere, Deumque, & magnam illius Paren-tem, cælitesque omnes, devotissimè interpellare cæperunt, vt tanta patriæ perniciies procul fieret. Dum hi talia obsecrant, siluit hostis, & passis velis altum petens dum lætatur spoliis & capta mercium, hominū-que gloriatur prædâ, exurgens de repente valida tempestas prædatorias illius naves, tam diu, ac multum agitavit, quoad fluctibus haustas plane tanquam plumbum in aquis vehementibus submersit. Factus hac die certior Ludovicus quod Deo revelante cognoverat Fratribus mox indicavit, ius- sitque supplices Deo gratias agere, quod tam promptas aures eorum precibus indulisset, & malum, pro quo avertendo rogarant, tam celeriter averruncasset, nempe omnem mali depulsionem, meritis suorum fratrum



fratrum aſcribebat, ſibi nihil tribuebat.

In eà quoque officii adminiſtratione facilis erat ad remittendum Nouitios ad ſæculum, eos præſertim, quos non vero Religionis ſpiritu duci cernebat, ideoque ad primam eorum petitionem veſtes ſæculares mox eis reddi jubebat, aliis illud Chriſti ad Diſcipulos, dicens. *Nunquid & vos vultis abire?* contraxerat autem cum quibuſdam religioſiſſimis Patribus, ſingularem amicitiam, inter quos præcipuus erat P. Joannes micon, qui Anno 1555. vltima Auguſti, iam iam migraturus, coram poſitis ac flentibus fratribus, dixit. *Bono hilarique eſtote animo fratres mei, ego de hoc mundo tranſeo Dei miſericordiam expectaturus, vobis autem ſantum in Conventu relinquo;* Quod ab omnibus de S. Ludovico acceptum fuit. Alter fuit R. P. Michael de S. Dominico qui fratribus peſte infectis inſerviens, anno 1556. & 57. eadem correptus piſſimè obdormivit in Domino, apparensque S. Ludovico ſua- viſſimum ei oſculum impreſſit. Tertius fuit R. P. Clemens Benet, qui vita functus, vt ſpoponderat, S. Ludovico apparens, purgatoriis flammis ſe cruciari aſſeruit, ob quaſdam



dam culpas, quæ hominum iudicio leves nimis malè æstimantur; cui cum Ludovicus openi adpromississet, elapsis sex diebus vidit nocte terram aperiri, & egressam Patris Clementis animam, instar splendidissimæ Stellæ matutinæ, ad cælos ascendentem.

#### C A P V T I V.

*De his, quæ gessit S. Ludovicus existens Vicarius in Conventu S. Annæ de Albayda.*

**A**Nno 1551. missus est S. Ludovicus Albaydam, Vrbs est Aegni Arragoniæ, habens vicinum Sacellum S. Annæ sacrum, & S. Vincentii prædicationibus olim admodum celebre, vbi ante ducentos annos prædixisse fertur S. Vir, ædificandum eâ in vrbe Prædicatoriæ familiæ cœnobiũ, quod totius sanctitatis, & observantiæ Regularis futurum esset Domicilium. Quanta verò eo in loco per eum Dominus operatus sit, novère ii, qui sanctissimæ conversationis eius gratia digni habiti sunt. Pauca hic perstringemus. Retulit focius ejus Pater Joannes Alercon, tantum fuisse ejus in oratione fervorem, vt acerrimi etiam frigoris vehementiam non perferiret; vnde ipsi  
quadam



quadam vice de frigoris acerbitate conquere-  
 renti dixisse fertur. *Si friges, Pater, ora, &  
 calefies, quid? nunquam tibi accidit, ut in o-  
 rationis principio algeas, in fine inardescas?*  
 venit quandoque Albayda vir clarissimus,  
 D. Hieronymus Abella, qui B. viri confor-  
 tio frequenter usus, testatus est nunquam se  
 nisi de Deo, deque interna hominis compo-  
 sitione cum eo locutum fuisse, cuncta ani-  
 mæ arcana, intimaq; cordium cogitationes  
 adeo dilucidè perspectas habuisse, ut ad eas  
 priusquam aperirentur, exacte responderet.  
 Solebat subinde orationis causa ad collem  
 Conventui propinquum secedere, ibique  
 Salvatoris in monte Oliueti orantis memo-  
 riam recolere quò cum pariter accessisset  
 clarissimus vir Magister Jordanus, interro-  
 gavit, num recte valeret; cui Ludovicus,  
*ab fili mi, inquit, si recte pensaremus quid sit,  
 quod homo, Dei filius fiat!* moxq; tacuit, sub-  
 latis in cælum oculis, secundum faciē splen-  
 dicans, ac coruscans.

Non erubescerat quoq; peracta concio-  
 ne, panem ostiatim mendicare, quo humi-  
 litatis officio largam benedictionem novo  
 Monasterio obtinuit, servis suis Domino  
 alimo.



alimoniam affatim submittente. Collegerat procurator Conventus modicas ad reparandam campanam pecunias, quibus opus habens vir sanctus, iussit eas sibi adferri. Iuit ille allatum inera se murmurans, ac dicens: *O quam mirabilis superior est homo iste!* cognovit hoc diuinitus vir Dei, jubensque cito adesse procuratorem, Dixit. *Quia mirabilis superior sum ego, adfer huc ex templo pecunias, de aliis Deus providebit, quemadmodum etiam postea contigit.*

Incer missæ sacrificium, præsertim ante Dominici corporis sumptionem; tanto aestuabat deuotionis ardore, vt facies ejus nunc lachrymis perfusa, nunc crystalli instar pellucida, subtilissimæ lucis radios, quibus sacra hostia, ejusque caput cingebantur, emitteret. Inter concionandum visa est frequenter ejus facies multo lumine coruscare, quo fiebat, vt prædicationes ejus admirabili benedictione affluerent, & mirificos in populo fructus facerent, nemoque esset qui non ejus aut consilio, aut alloquio, aut familiaritate vti peroptaret.

Audita ejus sanctitatis fama, Anachoreta quidam senex Albaydam venit, vt aliquid



quid spiritualis gratiæ à viro Dei perciperet. Ad S. virum adductus, procidit ad pedes ejus, eos deosculari cupiens, sed eum ab illo ne id faceret, prohibitus fuisset, quanta potuit voce clamavit. *Tu es Angelus Dei P. Ludovice, Tu es Angelus Dei;* at vir sanctus humanissimè optimum senem introduxit, & qua potuit charitate excepit; qui mansit toto triduo apud eum ejusdem conversatione supra modum recreatus, & quotidie Dominici corporis Sacramentum confessione prævia deuotissimè suscipiens. Redibat quadam vice vir sanctus peractâ concione Albaydam, atq; à longè conspiciens opilionem genua sua flexit, elevatisq; in cælum oculis, aliquanto tempore in oratione permansit, surgensq; opilionem accessit, & corripuit quod à triennio peccata non fuisset confessus, & monuit vt sine mora id faceret, qui salutari obtemperans consilio, cum postridie peccata expiasset, elapso triduo è vita migravit. Multo magis stupendum fuit, quod inter ipsum, & D. Hieronymum Abella fertur contigisse.

Accesserat ille more suo sanctum Patrè;  
& cum felicem diem vix fuisset præcatus,  
mox



mox respondit Ludovicus. *Eia Frater cha-*  
*rissime, dispone domui tuae, auferet enim Deus*  
*à te, quo charius in hac vita nihil habes. Vo-*  
*luntas eius fiat,* respondit Hieronymus, *eius*  
*enim voluntas, etiam mea est; Attamen non*  
*parum me terrent, Pater, quæ dixisti, cum om-*  
*nes domi mee, Deo sint laudes prospera fru-*  
*tar valetudine.* Elapso triduo Hieronymum  
 inuisurus S. Pater Belgidam perrexit, eumq;  
 in viâ ad Conuentum proficiscentem, obviû  
 habens, reverti iussit, veniensq; cum illo  
 domum, peractis sacris, finitoque prandio,  
 inter spiritualia colloquia, Hieronymum  
 cum coniuge in partem traxit, dixitque eis.  
*Quid si charissimi contractum inter vos matri-*  
*monii vinculum dissolvendum esset?* nec finès  
 eos respondere, aliò sermonem divertit, lo-  
 quens de amorè Dei & proximi, sicq; ab eis  
 discessit. Elapso triduo corripitur Hiero-  
 nymi vxor acerrimâ feбри quâ ingrauescente  
 prolem (quam vtero gestabat) in lucem e-  
 didit, & sequenti Sabbato inclamans nomē  
 JESUS expiravit. Accurrit mox S. Ludo-  
 vicus, vt afflictam & mœstam domum con-  
 solaretur stansq; juxta defunctæ corpus, diu  
 cogitabundus, quasi resumpto spiritu dixit

B

astan-



astantibus. *Hæc fœmina una ex candidissimis & purissimis, quas in vita mea rexi, anima- bus erat, & tamen quinque dierum igne pur- gada est. Peractis solemniter obsequiis præ- dixit Hieronymo, tres ejus minores filios Societatem JESU ingressuros, quemadmo- dum etiam eventus demonstravit.*

Affligebatur vehementer Pater quidam, quod viginti duos Religiosos in Conventu Valentino, una pestis absumpsisset, quem solari cupiens S. Pater, dicebat illi. *Ne te res ea affligat fili, est enim magnifica eorum gloria cuiusdam Religioso divinitus revelata.*

Transformauerat se tenebrarum Ange- lus, in opulenti cujusdam peregrini formã, ad S. Jacobum devotionis causã proficisci volētis, eoq; prætextu honestissimæ matro- næ de Albayda filium comitem postulabat: Accessit illa virum Sanctum, quid eã in re sibi agendum postulans; & detecta diaboli fraude jussit vir Sanctus, vt ad se revertenti peregrino diceret. *Vade satana, mergere in profundum inferni, non enim peregrinus, sed diabolus esse conuinceris. Quod cum illa au- dacter fecisset, dixit ei dæmon. Hoc tibi sug- gessit P. Ludovicus, at maior me ipso diabolus est.*



est. Vt autem scias quis sim ego, vide insidentē  
 asino rusticum, is corruet mortuus quam pri-  
 mum isti porta appropinquavit, quibus dictis  
 disparuit, & sicut dixerat evenit.

Eo quoque tempore nonnullas fæminas  
 ex doloribus partus extremè laborantes li-  
 beravit. Nam & Dominam Isabellam de  
 Belvis persolutis in ejus Sacello per noctem  
 Nativitatis Domini matutinis, increpatiq;  
 obstetricibus quod officii sui ignaræ, tem-  
 pus à naturâ præfixum frustra prævenire,  
 laborarent, editâ in lucem prole circa noctis  
 medium, liberavit; & Dominam Blancam  
 Illustrissimi Comitis de Albayda conjugem,  
 appenso ad ejus collum Rosario, jam jamq;  
 spiritum trahentem, cum prole incolumem  
 reservavit.

Incendium quoque in vineis nostris ex-  
 ortū, expresso ligno Crucis exstinxit, quod  
 miraculum tanto magis stupendum fuit,  
 postquam innotuit, quod ad hanc S. Viri  
 vocem, *siste, ne ultra progredere*, tam subito  
 obediens ignis steterit, vi quasi ultra progre-  
 di non ausus, præcisos velut cultello palmi-  
 tes, in signum obedientiæ reliquerit.



## CAPVT V.

*De profectioe S. Ludovici ad Indias, eius-  
que laboribus septennii spatio ibi  
exantlatis.*

**I**Ntereà ecclante, propitio Domino, pesti-  
feræ contagionis lue, Valentiam revoca-  
tur Ludovicus, Novitiisq; rursus præfici-  
tur cum onere prædicandi per totam qua-  
dragesimam.

Evoluto hoc tempore, ex Indiis Occidē-  
talibus venere duo Religiosi, habentes am-  
plissimam facultatem nonnullos abducendi  
Religiosos in novi Granatensis Regni sub-  
sidium; ex quibus cum miserandam Indica-  
rum Nationum perditionem, & exte nam  
Prædicatorum necessitatem cognovisset, sta-  
tuit se eis comitem adungere. At huic ani-  
mi proposito non modica se objecerunt im-  
pedimenta, ut solet, eaque à malo spiritu,  
carne, & sanguine adinventæ. Turmatim si-  
quidem veniunt ad Conventum parentes,  
fratres, sorores, cognati, filii, filia-  
que spirituales, conceptam profectioem,  
modis omnibus dissuadent, pericula maris  
obiiciunt, infirmas vires ejus recolunt, va-  
riisq; animum ejus rationibus deterrere ab  
itinere



itinere tam & prolixo, & periculoso conantur, quorum etiam partes suscipiens R. P. Jacobus Serranus Prior Monasterii, ita constanter Ludovico restitit, ut & viaticum, & benedictionem ei denegare statueret; sed victus ejus lachrymis & zelo tandem abire permisit. Discessit igitur vir S. mœrore, pariter & gaudio affectus, lectoque sacro in quadam Ecclesiâ ordinis S. Francisci extra urbem, Xatiuam venit, ad locum, qui mediâ leucâ ab oppido distat, ubi suo socio adjunctus, pauper Christi, omni viatici solatio destitutus, sola in Deum fiduciâ dives, itineri se accinxit. Fratres illum insecuti, cum deprehensum non valerent à proposito avocare, abire permiserunt, dato ei aliquo viatico, ut Hispalim, unde naves in Indiam solvunt, commodè venire posset.

Porro cum eo pervenisset, non paucos Ordinis sui Religiosos in navi reperit, inter quos tantâ sanctitatis gratia eminebat, ut navium præfecti eum recognoscentes ejus se consortio beatissimos æstimarent, atq; etiâ imminentibus maris periculis, ad obtinendam tranquillitatem, prosperumq; successum, preces ejus requirerent; unde & se-

B ;

queni



quenti miraculo famuli sui sanctitatem, Deus voluit demonstrare.

Obambulabat Religiosus quidam Ordinis in armamentario, cum ecce inopinatò vas pulvere repletum super ejus caput decidens, graviter hominem læsit humiq; iacentem semimortuum reliquit. Aduocantur subito Chyrurgus, ac Medicus, qui scalpello vulnus experirentur: Accurrit quoq; Ludovicus, qui manu silentium indicens, jubet vt aquâ duntaxat caput abluant, cingantq; linteo. Ridiculum quidem in re tam arduâ videbatur remedium, at nihilominus, sanctitate ejus permoti, consilio paruerunt, mansitq; frater iste totâ nocte immotus, ac sensibus destitutus. Decubuit juxta illum S. Ludovicus, ejusque capiti suum admouit, donec admirabili virtute excitatis spiritibus ad mentem rediret; qui surgens, vulneris, dolorisque immemor, cum ad aulam, vbi navis moderatores erant, venisset; iique monerent, vt ad lectum rediret & caput bene custodiret; cognouit quid sibi accidisset, manumq; apponens capiti, & detrahens linteum, nullum penitus vulneris reperit vestigium

Appulit itaque secundis ventis Carthagenam



genam atque ibi Conventui S. Josephi Ordinis nostri à Prouinciali assignatus fuit. Ibi cepit jam diu conceptum conversionis animarum opus aggredi, tanto fervore & spiritu, vt quemadmodum testantur ii, quos socios habuit laborum, vix sibi eo in munere parem habuerit: ibat enim in spiritu feruoris lustrans, & illustrans omnia, & peragrans vastissimas Regiones, ac Prouincias de Cicopoa, de Palvato, de Tubuta, de granada, de Mompos, de Tubaco, in quibus, aliisque locis quanta pro Dei gloria passus sit, non potest facile calamo explicari. Fuit tamen cuidam eximie sanctitatis viro diuinitus revelatum, qui id ipsum S. Ludovico cum esset in Conventu S. Joannis Baptistæ manifestavit dicens. *Pater Bertrande, revelauit mihi Dominus ingentes te passurum labores, & in maximis exponendum vitæ periculis sed eo adiuuante plurimum confortaberis, saluusque evades, constans esto, Dominus enim adiutor, & protector tuus erit.*

Inter grauissimos labores quos in Indiis sustinuit, non infimum tenet locum, illa aspera, & admiranda magis quàm imitanda viuendi norma, cui in Hispaniis adsueverat;



Cruentas flagellationes, corporis macerationes, vigiliis, & jejuniis non mutavit, neque minuit Regionum illarum æstus, quin auxit potius, addiditque ad rigorem, conversionis miserandæ illius gentis desiderio vehementer affectus. Carnes nunquam edebat, vino rarissime utebatur, mendicato vivens, vilique casâ, aut tugurio contentus, lectus ei dura humus quidpiam paleæ nostræ vel stramini simile erat. Jejunus sæpè usque ad vespèrum permanebat, nec tamen à prædicatione verbi Dei huc illucque discurrendo, cessabat. Omnia itinera quantumvis aspera, & aquosa, pedibus conficiebat, nec equo vehebatur, nisi id gravis necessitas exigeret, munera nulla siue ex auro, aut argento, aliave materiâ ab Indis, aut Hispanis Christianis accipiebat, quanquam & consuetudine patriæ, & necessitate id exigente, ab aliis patribus aliquid subsidii, & solatii temporalis acciperetur: quæ res multam ei patientiæ materiam præbuit, licet piissimi cuiusdam viri charitate, victus ei necessaria tribuerentur. Verùm gravis ei admodum erat, & penè intolerabilis vna confessarii inopia, quæ in illis vastissimis Regionibus, ob nimiam

Missio-



Missionariorum ab invicem distantiam frequens est, ac continua.

Porro licet divini verbi semen, in omnibus Regionibus, in quibus prædicabat, vberri- mos fructus adferret, vna tamen quædam terræ pars fuit, quæ obstante incolarum malitia, veritatis lumen adspicere recusavit: Ita namque obcæcatum, & obstinatum ad idololatriam erat cor eorum, vt Christianæ Religionis ipsum etiam nomen detestarentur, & nemo esset, qui de eâ pro concione dicere auderet. Colebât autem veneratione maxima priscei cuiusdam sacrificuli ossa, idcirco quod à dæmone persuasi ruiturum supra ceruices suas cœlum metuerent, ni ea diligenti custodiâ conseruarent. Innotuit hæc infania viro Dei, qui nocte consurgens clam ea surripuit, & alibi occultauit, sed apud illos mox in facti suspicionem venit; initoque cum quodam sacerdote idolorum, consilio, veneno virum Dei tollere decreverunt. Inuitatur ergo sub honestæ conversationis prætextu ad prandium; præparatum ex venenatis herbis jusculum ei apponitur, comedit ille tam grande scelus de hospite minimè suspicatus, peractoque brevi pran-

B §

dio



dio domum redit ubi mox febris acerrimā  
 Corripitur, quæ suo calore totum ejus cor-  
 pus, pectus, stomachum, atque ventriculū  
 incredibiliter discruciat. Cognovit ea  
 facile vir se impiorum adversum se molimi-  
 na, sed patienter sustinens voluntariē ad  
 mortem se preparavit. Quinque dierū spa-  
 tio dirissimas noctu, diuque viscerum con-  
 vulsiones passus fuit, sed ad maiora à Deo  
 reservatus, & adjutus, postea vna cum ve-  
 neno, serpentem evomuit, atque ita pau-  
 latim convalescere cœpit. Converterat vir  
 S. duos Æthiopes, quorum opera fidenter  
 iuvabatur. Hos habebat quocunque iret  
 viarum socios, & pro ejus valetudinis recu-  
 peratione admodum sollicitos procurato-  
 res. Interea infideles cernentes S. Virum ad  
 pristinam paulatim sanitatem redire, colle-  
 ctā ducentorum hominum manu eum sagit-  
 tis configere decreverunt, quod advertens  
 Æthiopum vnus, non minus animo quam  
 fide valens, arreptam bombardam in primō  
 venientē exonerare decretum habebat, sed  
 mitior Agno Vir S. id fieri prohibuit, pro-  
 piusque accedens, tumultuosæ plebeculæ  
 primores ad se vocavit, monens & obsecrās



vt relictis erroribus, diaboli persuasiones abjurarent, nec eorum ossium amissione à ruina cœli se opprimendos metuerent, cum jam sublatis, amotisque illis, nihil incommodi passi sint. At illis pertinaciter ossa sua repetentibus, & ni mox redderet mortem intentantibus, compulsus est Vir S. locum, vbi ea deposuerat, ostendere. Sublatorum ossium copiam denuo nacti, magnas Viro S. gratias egere, multaque munera obtulere, quæ cum acceptare recusasset, tanto in eum furore exarserunt, vt certò certius eum in ipso loco confodissent, nisi centurionis cuiusdam [ quem ad fidem pertraxerat ] industria placati fuissent. Loquente autem ad turbam viro Dei advênere bini illi Æthiopes Christiani aliique nonnulli, qui sublatum in humeros Bertrandum ad s. milliaria, vsque ad flumen deportarunt, ac deinde ad D. Petrum Salazar ejus Provinciæ Governatorem conduxerunt, vbi diu infirmus hæsit malitiæ veneni necdum radicitus sublata.

Ab hoc periculo liberatus in aliud incidit. Tubaræ Capitaneum quendam Indum, ob violata naturæ jura, quæ alioquin inter ejus nationis populos viget, in publica concione

B 6

acriter



acriter corripuerat; alebat enim domi suæ cum maximo omnium scandalo pellicem, eamque alteri viro legitimè copulatam, quæ res apud eos summo est dedecori, & grande nefas existimatur, legitimi matrimonii iura violare. Exacerbatus eâ correptione Capitaneus, peractâ concione, dimissoq; populo, foris expectans, egredientem S. Virum adoritur, arreptamque bipennē in ejus caput vibrat, sed diuinâ protegente gratiâ, frustrato ictu, intentam capiti bipennem terræ sicarius affixit, vir autem S. paululū declinavit; atque dissimulata iniuria ad celebrandum Missæ sacrificium impertertitus accessit.

Verum etsi hæc gravia essent, & constantem virum iusto timore concutere possent, majora tamē sunt quæ subjungo. Erat quædam Marinita nomine, quæ neglectis S. Viri monitis, à quodam Hispano corrupta, ventris tumore suum scelus manifestabat. Veritus autem construprator ille, ne à visitatore Generali graviter mulctaretur, suavit puellæ, ut à S. Ludovico illatum sibi per vim flagitium quæreretur. Placuit consiliū & misera virgine innocentem turpissimè dif-  
famavit,



famavit, adeò vt præter multos, quibus nota erat ejus vitæ castimonia, ipsum quoque Ludovicum, non mediocriter ea res affligeret. Perduravit aliquamdiu pessima hæc calumnia, sed tandem puellâ veritatem confitente, & Hispano culpam agnoscente, nota ista quidem deleta est, relicta tamen judicis pœnâ, quâ sceleris gravitas exigebat, & ille tam maledicis hominibus jure infligere poterat. Sed eorum Vir S. misertus, veniam delicti à judice impetrauit. Quod cum frater quidam agrè ferret, respondit ei Vir S. *Si in omnibus servanda esset iustitia, vix in nobis locum haberet patientia.* Alius quidam vir magnæ authoritatis, & opulentus, quamdiu secundum Christianæ continentie normâ vixit, summa reverentia & honore S. Virum prosequabatur. Hic deinde honestissimæ fœminæ amore captus, eam diu constanterque repugnantem, ad facinus tandem pertraxit. Corripuit eum graviter Vir S. ille vero tam crebras increpationes non ferens, puellam quandam pecuniis subornavit, vt nocte Virum S. ad peccatum pertrahere studeat. Venit illa cultu meretricio ornata, fores pulsat, quando pernoctabat Vir S. in oratione,



oratione, qui ob gravem alicubi instantem necessitatem se vocari arbitratus, ianuam aperit, sed videns adesse puellam decoram, & bene ornatam, subito ostium clausit, iussitque ibi paululum expectare. Interea facellum ingressus, innudatum vestibus dorsum flagris ad multam sanguinis effusionem in-  
 vectus, continuis tribus horis in oratione permansit, orans Deum, ut à tam immuni scelere ipsum custodiret, & puellam ad pœnitentiæ frugem & mentem saniozem revocaret. Tunc deliquium animi passus, apparentibus sibi è cœlo duabus augustâ specie matronis, S. Maria Magdalena, & S. Catharina martyre, mirificè confortatus fuit. Puella autem quæ foris stabat omnia per ostii rimas vidit, & facti sui pœnitens, suæque impudentiæ veniam petitura S. Virum expectavit, qui ad eam accedens dixit. Filia, vade in pace, & cave, ne amplius impudenter agas, nisi velis subitam Dei vindictâ experiri. Abiit illa animo consternata, & re totâ pessimo consultori relatâ, eo ipso momento errorem suum agnovit, & percutiè pectus suam, simul ac dies illuxit, Virum S. accessit, veniam petiit, emendationem promisit



misit & deinceps pietatis, & pœnitentiæ exemplo omnibus præluxit.

Non absimilem calumniam passus quoq; fuit à quodam Martino, qui ore maledico sparserat P. Ludovicum binas ex Indis fœminis proles accepisse, easq; apud D. Franciscum Sanchez Capitaneum educari, qui non eâ quâ Vir S. patientiâ sustinens opprobrium, calumniatorem inflicto in faciem cultello grauiter vulnerauit. Intellexit hoc Vir S. & Capitaneum seuerè corripuit, affirmans se maiora meritum tuisse, quàm quæ homo ille divulgasset.

### C A P V T VI.

*De maximis fructibus, quos septennii spatio apud Indos fecit S. Ludovicus.*

**R**Eferunt publica pro Canonizatione S. Viri Indiarum testimonia, neminem iis in locis vnquam extitisse, qui tot, tamq; vberes animarum fructus, Ecclesiæ Catholicæ acquisierit. Vix dici potest, quàm copiosam messem collegerit in Provinciâ de la Sierra de S. Martha; vbi innumeros Christo lucrifecit, aliò autem veniens adedò induratos inuenit, vt non nisi duos conuertere potuerit;



tuerit; quare inde in vicinas Regiones migrans non paucos vna cum mancipiis Dominos Christo acquisiuit. Dum autem ibi moraretur, venerunt ad eum ex locis, in quibus fructum facere nequiverat, plusquam mille quingenti homines, fidem amplecti cupientes; vnoque ore baptismum petentes; à quibus cum Vir S. petiisset, quænam eorum aduentus causa esset, & quid eos ad suscipiendam fidem tam efficaciter permonisset, quam paulò antè, nec nominari quidè, minus autem prædicari patiebantur. Responderunt hanc esse causam, quod convenientibus ipsis quadam vice ad exhibenda Idolis sacrificia, præsentibusque pariter duobus illis Christianis, quos baptizauerat, apparuerit illis dæmon, iratusque vehementer, dixerit. *Quid facitis? itane presentibus his Christianis invocare me ausi estis? protinus hinc à facie meà eos auferte.* Quod cum illi facere vellent, apparuisse, dicebant, coram omnibus hominem Christianam veste indutum, dicentem, se à P. Ludovico missum esse, ut ipsis Diaboli fraudes detegeret, sicque in conspectu omnium cum dæmone disputasse, eoque confutato, utrumque evanuisse. Quibus visis dicebant



dicebant, se ad eum venisse, vt suscepto baptismo in fide Christianâ plenius instruerentur: quod cum ingenti gaudio, & multa gratiarum actione à Viro S. factum est.

In Regione de Tubara triennio integro Evangeliazans, propria manu duo Indorum millia baptizavit. Plurima idolorû delubra ex juncis, & viminibus confecta igne succendit, occultant enim in illis deastros suos & ne à Christianis inveniantur, in abditissimis desertorum locis ea construunt; verum Indorum parvulos munusculis alliciens, facile ea deprehendebat. Vna vice septem fana in cineres redigi iussit, & eadē nocte duo ipse concremavit. Eâ re graviter exacerbati Indi, sollicitè hominem quærebant, qui diis suis tantam iniuriam irrogarat; at Deus vt pupillam oculi famulum suum custodiens, non sinebat in ejus mortem parvulorum relaxari. Cum quadam vigiliâ S. Michaelis Vir S. orationi operam daret, venit quidam Indus infantem gestans, & qua poterat vocis contentione vociferans. Cognovit autē vir S. quod parvulum moribundum baptizari peteret, cum diceret se à bono spiritu in monte fuisse monitum, vt parvulum baptizandum



zandum P. Ludovico deferret, qui pro hominum salute ad ea loca missus esset, quo audito baptizavit eum, Michaelenq; appellavit. Puer verò eadē horā defunctus est.

Huic prospero eventui successit insignis Capitanei cujusdam conversio; observavit vir Dei, quod ille centurio, conciones & Catechismos jam non amplius frequentaret quærensq; ab eo causam, cognovit dæmonis suavis id fieri, qui mortem ipsi, & conjugii, & liberis intentasset, fideinceps divini verbi prædicationi interesset. Audiēs hæc vir Dei, assumens secum Capitaneum venit, ad Idolum, dicens. *Ut maligni spiritus imbecillitas cognoscas, vide quid nocere possit*, arreptoque baculo crebris ictibus Idolum percussit, pedibusq; conculcavit, dæmone intus delitescente, ne hiscere quidem, aut minimum contradicere auso, ex quo dæmonis imbecillitatem arbitratus centurio, eum spreuit, ac fidei Catholicæ nomen dedit.

Alio tempore fenē quendam Indum graviter decumbentē in viserat, quem post multas instructiones, tandem ab infidelitatis errore absolutum baptizavit; sed cum prolixiores miscere cum illo sermones alia negotia



gotia non ferrent, ad fidei susceptæ constā-  
tiam eum adhortatus discessit. Vix autē pe-  
dem domo extulerat, quando ex templò ac-  
currit satanæ minister Indus quispiam, qui  
novellum Christi militem modis omnibus á  
susceptâ fide avocare conabatur, rediens su-  
bitò Ludovicus, zelo Dei inflammatus, im-  
probum consultorē abegit, cernensq; opti-  
mum senem morti vicinum crucem ex Ec-  
clésiâ afferri iussit, quod intelligens infirmus  
elevata manu signum dedit, vt sursum aspi-  
cerent, astantibus dicens. *Non est opus. Non  
est opus. Ecce ibi una est, splendidior sole, co-  
ruscans in aere, & cum istis verbis efflavit  
animam.*

Hoc eodē salutiferæ crucis signo, ab in-  
festationibus satanæ sacerdotem quendam  
Indum, ad fidem conversum, liberavit. Ap-  
parebat ei incessanter dæmon, & vt abjura-  
ret fidem importunè exigebat. Indicavit hoc  
Ludovico, qui crucem ex juncis formatam,  
ostio domus affixit. Altera die reversus sata-  
nas, & affixam ostio crucē cernens, nec va-  
lens ingredi horribiliter vociferabatur, vt  
sacerdos januam aperiret, qui cum respon-  
disset januam apertam esse, liberè intraret,  
¶



si posset, dæmon illum falsi arguens dicebat non patere sibi fores, sed clausas semper fores quamdiu ista crux non inde amoueretur. *Bene est, inquit sacerdos, Deo & P. Ludovico gratias, maneat igitur crux ibi affixa, ne amplius ad me accessum habeas.*

Non multum huic absimile contigit cum alio sacerdote Indo, viro singularis prudentiæ, & magnæ apud omnes Indos authoritatis, cuius conversionem toto biennio sollicitè quæsierat Ludovicus. Illo elapso dum quasi desperatum conversionis negotium esse cerneret, invasit sacerdotem gravissima infirmitas, curansq; S. Virum accersari, hisce eum verbis affatus est. *Frater Ludovice credo firmiter Deum Patrem Omnipotentem misisse in mundum Filium suum unigenitum, in cruce mortuum esse, ut nos à peccato & diaboli servitute liberaret: & hac fide volo esse Christianus. Quantam gaudii & consolationis materiam attulerit Viro S. ea inopinata confessio, æstimandum aliis relinquo. Cum ergo Christiane Religionis fune lamâta perfecte calleret, statim baptizatus est. Vix ablutus erat, ecce superveniens totius corporis tremor, pallor vultus, & mēbrorum concussio,*



cussio, noui quidpiam accidisse indicabat. Quærit Vir S. quidnam ei tam inopinatè acciderit, Respondet, dæmones horribili formà sibi apparere, ad devorandum paratos, minari, & probro, vitioq; dare, quod sacerdotum præcipuus, ipsis abjuratis, Christi fidem suscepisset. Quibus auditis S. Vir, de paucis juncis crucem formauit, lectoque decumbentis affixit, & ab eo discessit. Postea reversus, constantem in fide reperit, & interrogans num eiusmodi spectris adhuc infestaretur, hoc responsi habuit, se nihil amplius vidisse, sed ante ostium domus continuo ululasse dæmonem quendam, non tamè ausum fuisse ingredi, propter crucem lecto suo affixam. Inter parvulos, quos Turvaci baptizauerat, fuit aliquis, quem Ludovicum appellauit. Hunc sibi specialiter fidei documentis instruendum, & ad Missæ ministerium reservavit. Tantæ autem innocentia puerulus erat, ut eam ob rem dæmon ipsum ferre non posset. Unde cum die quadam Turvaces dæmonem accessissent, annonamque ab illo postulassent, respōdit, nunquam amplius se illis aliquid daturum, aut locuturum nisi ipsi puerum Ludovicum immolarent.

Quare



Quare S. Viri tugurium ingressi, eo absente puerulum rapuerunt, & frustillatim discerp- tum damoni obtulerunt, dicentes ipsum à crocodilis devoratum fuisse. Innotuit tandem eorum facinus viro Dei, qui etsi vehe- menter doleret, non minus tamen de eius martyrio gavisus est. Eo quoq; tempore fo- forem Marinitæ de quâ cap. præc. triduanis doloribus gravissimè in partu laborantem tactu Cinguli liberavit, & prolem salvam matri servavit; quo miraculo permoti, pueri parentes eius, avus & avia, cognati & con- sanguinei, vniuersa deniq; familia, abjurato errore fidem susceperunt. Non ferens tam divites & copiosos animarum fructus satan, Carthagenâ proficiscenti itineris comitem se ei a- junxit, cœpitque ei persuadere ne tantoperè incolarum conversione se afflige- ret, eò quod labor esset inutilis & ipsi ad suscipiendum fidei lumen essent inepti. Hæc audiens vir Dei, & intuitus personatum viæ socium, satanam esse agnovit, qui se prodi- tum videns, clamore horribili vociferans evanuit.

Porro quot animarum millia iis in locis ad fidem pertraxerit, testantur hodiedum  
codices



codices Ecclesiarum, in quibus baptizatorum nomina annotata visuntur. Testatur etiam nunc Regio de Tubara, in qua vix quatuor familias in gentilitatis errore reliquit, vbi etiam hodie maxima veneratione colitur, velut Regionis illius Apostolus, confluentibus ad eius sacellum, quod in cellulae eius loco ædificatum est, non solum Indis ad fidem conversis, sed etiam Hispanis Sacerdotibus, ac Religiosis, eius opem implorantibus, cuius patrocinio, & auxilio in suis necessitatibus plurimum se sentiunt adiuari.

## CAPVT VII.

*De miraculis quæ apud Indos patravit Sanctus Ludovicus.*

**D**ominus noster JESUS Christus Apostolos suos in omnem terram dispersurus, & si quidem eos auri, & argenti inopes, miraculorum tamen gratiâ voluit esse prædivites, vnde & potestatem dedit illis in dæmonia, serpentes, morbos, & omnia quæ hominibus exitialia esse possunt, dicens: *In nomine meo dæmonia eiicient, serpentes tolerant, & si quid mortiferum biberint, non eis nocerebit.* Et alibi. *Dæmones eiicite, mortuos suscitare,*



*citare, infirmos curate, leprosos mundate, gratis accepistis, gratis date.* His successere viri Apostolici inter quos non immeritò recensendus venit innumerorum prodigiorum opifex S. Ludovicus Bertrandus, qui occidentales Indias non solum fidei lumine, sed & plurium miraculorum splendore illustravit. Ordiar à gratià linguarum. Is namque solo idiomate Hispanico usus ab omnibus intelligebatur. Postulaverat ipse hanc à Deo gratiam, eò quod malitioso, & verborum suorum infido, quodam interprete usus, deceptus fuisset, eamq; citò diuinitus obtinuit. Venit quondam vir S. in Insulam, vbi Æthiopes promiscuè cum aliis habitant, stansq; in medio foro, vocauit ad se populum, cœpitque linguâ Hispanicâ eis Christum prædicare. Concione peractâ plurimi baptismum instanter petierunt, & spatio quinque mensium quo apud eos moratus fuit, ejus institutione plures ad fidem conversi sunt, idq; in dies singulos. Inde autem discedens, præcipua Christianæ vitæ documenta scripto tradidit, quæ diligenter ab omnibus observanda, ejus Insulæ maioribus commendavit.

Ad



Ad hæc Prophetiæ dono excellentissimè claruit. Redierat ex Hispania Carthagenam ejisdem loci Prior, cum Subprior, & vtrique ægrè erat, & quærentibus quid sibi de ipsis videretur, respondit, vtrumque vno die brevi moriturum, quod & factum est, vtroque vnâ die terræ mandato. Missus fuerat quadâ vice ad Conuentum de S. Fide, cumq; se ad iter præpararet, Domino Francisco Sanchez Capitaneo dixit; *Ecce me itinere accingo & tamen certò scio me non eo peruenturum quovendo.* Dictum, factum, everso siquidem navigio quo vehebatur, & omnibus in flumen excussis, quilibet natando salutem quaesivit. P. Hieronymo de Barres misso ad prædicandum juxta flumen *de la Acha*, prædixit non esse inde amplius reversurum, quod ita evenit. De se ipso quoq; misso in Civitatem *Nombre de Dios*, siue nominis Dei, & de P. Priore in urbē de Varagua profecto ad prædicandum, præfagit quod in gravem, non tamen lethalem morbum lapsuri essent, quæ omnia sicut dixerat, evenerunt. Verum non est operæ prætium huic rei diu immorari, cum totam ejus vitam prophetiæ spiritu clarissimâ fuisse, infinita testimonia comendēt.

C

Tran-



Transcamus ad alia. Venenum sibi propinatum sæpius innoxie haussit, non solum cum serpentem evomuit, sed & aliam vice in conspectu omnium Indorum, ad confirmandam Catholicæ veritatis doctrinam. Iter faciens per sylvas, montes, & deserta loca, obviamq; habens feras, earum impetus crucis signo repressit: cumq; itineris eius Comes Hieronymus Fernandez occurrentium Tygridum, & aliarum belluarum multitudine & immanitate perterritus clamaret: *Quo pergimus Pater? an bestiarum esca hodie sumus futuri?* ipse Crucis signo eas abigens dicebat. *Ne timeas, fili mi, Deus nobiscum est, nihil nobis nocere possunt.* Ejusmodi ferarum occursum prorsus nihili faciebat, imò solebat iter agens subinde in obscuriora saltuum loca aliquantulum segregatus à socio, se recipere, ut liberius orationi vacare posset.

Præterea in aquâ variis modis potestatem exercuit. Appulit quædam vice S. Vir ad terram *de los oscillos*, & cum socio, aliisque è navigio pro sumenda refectioe egressus, advertit nubilo cælo mox ruiturum copiosum imbrem, flexisque genibus Deum oravit. Nesciens Dominus Franciscus Sanchez Centurio



turio huius rei causam, rogabat vt veniret, buccellamq; fumeret. At ille, *Sine*, inquit, *ego enim Dominam nostram de Rosario præcor, vt nos ab hac instante pluvia liberet, vnicam enim habeo vestem, qua si pluat statim permadescet.* Quibus dictis effusa in terrâ pluvia omnes vias, & semitas circumquaque impleuit, loco, vbi erant, prorsus intacto permanente.

In vigilia S. Catharinæ Virg. & Mart. arefcentibus nimio æstu terræ frugibus, Gubernator Cicapocensis, magnâ tum Christianorum, tum paganorum multitudine stipatus, Virum S. accessit, rogans vt pluviam à Deo suis precibus impetraret, ne annonæ defectu fame omnes morerentur; Annuit benignè Vir S. suadens vt sacræ Virginis opem ferventer implorarent, iubensque vsq; ad vicinum montem vias omnes purgari, ac altare præparari, ad habendam in crastino processionem, & offerendum Deo Missæ sacrificium pro obtinenda pluvia. Concurrere ad supplicationem plusquam mille homines, tam Indi, quàm Hispani, & peracto officio divino absolutâque concione, & processione, circa vesperum, non nihil aquæ cœpit cœlum distillare,

C 2

nocte



nocte verò tantam effudit copiam, vt biduo integro arentem terram irrigare non destiterit, messemque fertilem & copiosam protulerit.

Aliò tempore, navis, quæ B. Magdalenaë flumen transibat, ventis agitata mergi cœpit, sed eo ipso momento oculos ad cœlum levans, se ipsum, & alios á naufragio liberavit, obtinuitque, vt vno impetu navigium vi fluctuum ad littus impelleretur.

Quod verò attinet ad potestatem eius super hominum corpora, communis Iudorum est opinio, puellam quandam bimulam meritis eius ad vitam fuisse revocatam: de istius miraculi veritate aliquando Valentiaë interrogatus, omnino tacuit, ne affirmando, se iusmodi miraculum attribuere sibi videretur; at quadam gravi infirmitate correptus, cuiusdam fratri veritatem satis apertè colligendã reliquit, de hoc miraculo loquens & dicens: *quid existimas hoc esse? similis est Deus fabro ferrario, qui ad faciendam ferram, eà quã vult materia utitur & ad quæm voluerit usum format.* Quo dicto conticuit alteri consequentiam inferendam relinquens, quasi diceret. Noli me cæteris sanctiorẽ estimare, ob istud

mira-



miraculum à me patratum, cum non sim nisi instrumentum Dei, ad ejusmodi opus misericorditer assumptum.

Prædicante illo in quodâ loco, multi contagioso morbo infecti moriebantur, multi quoq; benedictione ejus accepta sanabantur; vnde cum & socium ejus eodem malo correptum viderent, mirantes dicebant. *Quid! etiam tu infirmaris, tecum habens fratrem Ludovicum? fac tu sicut & nos, accipe benedictionem eius, statimque sanaberis.*

Mulierem Indam ligato ad ejus collum sudario, à vomitibus liberauit, quod cernens ejus socius, *revera*, inquit, *Pater miraculum fecisti.* Ipse verò miraculi nomen recusans audire, *opus Dei est*, inquit, *pro conversione horum miserorum hominum ab ipso patratum.* Aliam graui vlcere corrosam, signo crucis, aliam diuturna feбри laborantem, lecto super ipsam Euangelio sanauit. Res apud omnes in confesso est, ejus Rosario innumeras ab ægris corporibus infirmitates propulsa- tas fuisse, vt ipse inadvertenter cuidam fæminæ fassus est; donans enim ei Rosario suū dixit: *Filia custodi illud diligenter, & habe in reverentiâ & honore per quod Deus multos a-*



grotos ad pristinam sanitatem, peccatores ad meliorem frugem, mortuos ad vitam revocavit. Sed & illud ipsum crebrò ab eadem matronà repetere cogebatur, vt ejus contactu debiles, & infirmos, quos inuisebat, sanitati restitueret. Nec mirari quis debet, illa Rosarii miracula, cùm præcipuà prædicationum ejus, apud Indos materia, fuerit commendatio, & promulgatio sanctissimi Rosarii: Hujus saluberrimæ prædicationis effectum expertus fuit Jacobus quidam, natione Gallus; Hic Carthagenam navigare decreverat, sed incurià Nautarum hausto aquis navigio miser ille in medio mari relinquitur, fluctibus noctu diuq; agitatus; Deiparæ tamen Virginis MARLÆ [cujus opem inclamauerat] virtute confortatus, tandem post superata duarum noctium maris pericula, ad littus natando pervenit, vbi S. Ludovicum invenit, qui secum attulerat res necessarias, quibus pene exanimem reuelaret, ac refocillaret.

Porro tanta erat apud Indos ejus sanctitatis fama, vt ipsa quoque folia, quibus baptizatorum nomina, manu propria inscriperat, infirmis applicata, sanitatem conferrent,



rent, vt expertus fuit Martinus quidam Indus de Tubara, qui cum amiffâ loquendi copiâ absque confessione jam jam è vita migraturus efflet, imposita est ejus collo chartula Sancti Viri manu conscripta, intraque fefqui diem linguæ beneficium simul cum integra valetudine corporis recuperavit. Idem beneficium sensit Inda quædam, doloribus partus ferè exanimata, cujus corpori mox vt appofita charta fuit, prolem in lucem cecidit, & integram sanitatem recepit. Multa præterea miranda patrauit, quibus apud Indos tantâ sibi comparauit authoritatem, & reuerentiâ, præcipuè in Regione de Mompox, vt ab omnibus *Sanctus Frater* Ludovicus vocaretur; immò in Provincia de Tenariffe quasi Angelus, aut homo diuinitus è cælo ad eos missus coleretur: Vnde cum è Regione illâ discedere decreuisset, ejus infirmam valetudinem incolæ tam pagani, quàm Christiani considerantes, equos, & jumenta aliaq; viarum subsidia occultarunt, ne talium adminiculo, à sua Regione discederet, qui pedes ire non poterat: ipse tamen non acquiescens, more suo pedetentim discessit ab iis, Deo famulum suum mirabiliter confor-



tante; vbertim autē flentibus Indis, & ploratu eum retinere volentibus, spondere coactus fuit, se propediem ad ipsos reversurum quod & fecit. Verum considerans nefandam plurium Gubernatorum in miseros illos populos crudelitatem, & insatiabilem auaritiam quæ ipsos & restitutioni obnoxios, & sacramentali absolutione indignos reddebat, permotus literis Reuerendissimi P. Bartholomæi de las Casas Episcopi de Chiappa in Hispaniam redire constituit.

### CAPVT VIII.

#### *De reditu S. Ludovici ex Indiis Valentianis*

Scriptit itaq; vir ille Præclarissimus Sancto Ludovico literas ( abdicato namque in Indiis Episcopatu de Chiappa in Hispanias abierat, pauperum Indorum causam coram Rege Catholico acturus ) quibus illi significabat, vt sedulam quidem infidelium conversioni operam impenderet, nihilominus consuleret conscientia, quando pro absolutione sacramentali veniret Centuriones & urbium Gubernatores, eò quòd pars eorum potissima Regiis mandatis parere recusans & immani crudelitate Indos vexans, beneficii



neficii absolutionis, ni se emendaret & ab-  
 lata restitueret, incapax esset. Hac epistola  
 permotus in Hispanias redire decrevit,  
 suumque propositum Patribus Valentinis  
 significavit. Eo tempore visitabat Hispaniam  
 Reverendissimus P. Vincentius Justinianus  
 Ordinis Generalis Magister, cognitoque  
 Sancti Viri proposito, tres illi patentes mi-  
 sit, vt si vna forte periret, altera saltem ad  
 manus eius perveniret. Dum igitur hæc in  
 Hispaniis pro revocatione S. Ludovici age-  
 rentur tractabat animo alia Provinciae S.  
 Antonini Præfectus, cernens namq; tam  
 rara in eo sanctitatis exempla, persuasit Pa-  
 tribus Conventus S. Fidei, qui ejus Prouin-  
 ciae præcipuus est, vt eum in Priorem elige-  
 rent, quod & factum est vnanimi Patrum  
 consensu. Degebat tunc vir Sanctus Cartha-  
 gente. Mittitur ergo ad ipsum certus Religio-  
 sus patentes deferens, quibus sub præcepto  
 formali jubebatur quantotius officiũ accep-  
 tare, ille autem lectis literis in lachrymas so-  
 lutus se excusare conabatur, dicẽs se non id-  
 circò ad Indias venisse, vt Religiosis præesset  
 sed vt miseris Indis Evangelium prædicaret; at  
 non valens præcepto formali contraire offi-



cium acceptavit. Interea datâ oportunitate  
 navim conscendit, quæ tamen, Deo ita in  
 sui famuli gratiam disponente, impedita  
 fuit ne solitâ velocitate ferreretur, vt posset  
 eam alia navis, quæ Carthagenâ solverat, af-  
 sequi; quod & factum est; Erat autem in illa  
 navi religiosus Ordinis, singularis S. Lu-  
 dovici amicus, Reverendissimi P. Genera-  
 lis litteras patentes habens. Hic intelligens  
 quod in aliâ navi esset, S. Ludovicus jussit  
 naves coire, atque ibi in medio flumine pa-  
 tentes ipsi extradidit. Quo facto navis, in  
 qua erat Vir S. quasi gravissimo pondere ex-  
 onerata solita velocitate ferri cœpit, & intra  
 breve tempus tenuit portum de Angustura,  
 vbi hæsit Vir S. donec occasio daretur na-  
 vigandi in Hispanias. Inde literarum sua-  
 rum patentium copiam misit Patribus Con-  
 ventus S. Fidei, postea descendit in Ciuita-  
 tem Tenariffe, vbi à quodam singulari ami-  
 co, viro nobili benignè hospitio exceptus  
 est, donec occasio vltius navigandi se of-  
 ferret. Intelligens autem quod intra octi-  
 dum navis Carthagenâ vela faceret, jussit  
 cuncta ad iter necessaria præparari, atq; Viro  
 S. abeundi copiam faciens, benedictionem  
 ejus



ejus postulavit; cui, S. Pater *Fili*, inquit, *tempus necdum advenit, scio diem quo mihi abeundum est, noli esse sollicitus, dispone Deus ne sine me navis solvat.*

Elapsis 15. diebus nobilis illius viri vxor, post magnos & periculosos labores, prolem in lucem edidit, quam vir S. baptizavit, præcepitq; ancillis, vt puerperæ continuò assisterent, neque ab eâ recederent; quæ neglectis S. viri monitis sequenti malo causam dederunt. Erat in domo coluber, qui sibilando, & serpendo, tumultum excitabat: advertens mulier esse colubrum, nimioque pavore perterrita, è strato exiliit, & ad interiorem aulam domus se recepit, ubi vento exposita, & prioribus doloribus multum debilitata, animi deliquium passa est, & post quatuor horas expiravit. Ab eo tempore coluber nusquam comparuit. Altera die sepulta fuit mulier illa; Sanctus autem vir exequias celebrauit, concionem funebrem habuit; cunctisque peractis & prandio finito dixit nobili. *Charissime, nosti quæ mihi præstiteris obsequia, scito esse Domino gratissima, ego verò quid retribuam, nescio. Uxoris tuæ confessionem excepi, prolem baptizavi, in ex-*  
*tremitis*



extremis ei astiti, exequias celebravi, concionem habui, hac pro gratiarum actione accipe, & me hoc vesperi, aut cras abire permitte. Ante omnia autem te horior & obsecro, ut familiaritatem cum tali persona omnino vites, nec eam in domum tuam amplius admittas. Quibus dictis eodem die discessit, & venit Barancham, & post tres dies Carthagenam, ubi navim reperit erectis velis præparatam, & virum admirabilem; ac si solus ipse deesset, præstolantem. Vir autem ille nobilis, quem a de suspecta conversatione admonuerat, neglectis Sancti Viri monitis, & illius fæminæ amore captus, postea simul cum scorto miserabiliter interiit. Verùm navigantem Ludovicum prosequamur, & mirabilia, quæ per eum operatus est Dominus, intueamur.

Cum quadam vice magna esset in mari exorta tempestas, ita ut navis iam iam fluctibus absorbenda videretur, cernens manifestum omnibus imminere vitæ periculum, accessit ad proram, stansque ibi, Crucis signum expressit contra irruentes aquarum turbines, quo factò videbant omnes manifestè quod retrocederēt, ita ut ipse vir S. id miraculose fieri cernens, timensq; vanam gloria

riama



riam, recedere coactus sit; verum redeuntibus instar montium fluctibus, omnium penè lachrymis & precibus commotus, ad proram reversus est, & extentâ super mare dextra, repentè tumentes subsistere fluctus maris, rediitque cum aëris serenitate diu optata tranquillitas. Hoc cum aliquando Vir Sanctus cuidam Fratri narrasset, dixit: *Putasne Frater, hoc sanctitatis signum esse? nequaquam, sed fidei duntaxat effectus est. Ab multo plura quam ego à patre luminum Lucifer accepit, & tamen damnatus est. Maiorem quam ego accepit Iudas à Domino potestatem, & tamen etiam damnatus est. Quis scit quid de me futurum sit. Nemo se extollat, nemo gloriatur, quia nescit homo odio, an amore dignus sit.* Tandem feliciter Hispalim appulit, Anno 1569. die 18. Octob. inde Valentiam. Postremo profectionis suæ die pernoctavit in quadam domo sui Fratris extra Civitatem; mox vt Conventui innotuit ejus adventus, obviam ei processere Fratres, Patremque charissimum latantes ad Conventum re-  
duxerunt.

CAPUT



## CAPVT IX.

*Eligitur Prior in Conuentu S. Onuphrii &  
qua ab illo per id tempus gesta, re-  
censentur.*

**C**UM igitur vnus anni spatio quietè vix-  
isset Ludovicus, eligitur in Priorem  
Conuentus S. Onuphrii & confirmatur an-  
no 1570. mense Octob. In eo munere non  
est passus animum suum curis prioralibus  
involui, nisi tantum, quantum expedire ju-  
dicabat, vbiq; & in omnibus liberas habens  
spiritus functiones, nec terrenis eas sinens  
commisceri cogitationibus, quamuis an-  
nonæ caritas, & paupertas domus multam  
ei inquietudinis materiã subministraret; ete-  
nim præcedentium annorũ sterilitas, adhuc  
intra sui Prioratus triennium perseverans,  
extremam attulerat necessitatem, nec alendis  
quotidie 40 Fratribus necessariam annonã  
aliunde habebat Conuentus: nihilominus in  
hac tantã rerum inopiã parum aut nihil mo-  
uebatur, & confidens omnimodè in Deũ, id  
duntaxat sollicitus curabat, vt ipse à Fratri-  
bus suis amaretur, & regularis vitæ discipli-  
na ad amissum seruaretur. Eam obrem nihil  
vnquam



Unquam ipsi deerat, imò tantis cum Deus benedictionibus cumulabat, vt piorum hominum copiosæ, & frequentes eleemosinæ non solum ad honestam fratrum sustentationem, sed etiam ad Ecclesiæ, vel Conuentûs fabricas sufficerent. Nec absq; miraculo subinde fiebant ista, ut ipse P. Vincentio Ribera fassus est, dicens, nescire se unde veniret ea pecunia, quam in suâ cellâ reperiebat, & quod in Communi deposito plures inuenirentur, quam quæ fuissent repositæ.

Accessit ipsum quadam vice bibliopola, cui solvendo cum necdum paratam pecuniam haberet, seque humiliter excusaret, respōdit ille, nō se solutionis, sed visitationis causâ venisse; sicque in cellulam suam introduxit, & ad colloquium detinuit. Ille autem inter verba super mensam manum extendēs acceptam pecuniam, quanta præcisè solutioni sufficiebat, bibliopolæ tradidit, qui vehementer obstupefactus, non aliter quā diuinitus factum fuisse semper credidit, maximè cum nullam super mensam pecuniã ante advertisset.

Accidit aliquando penuria panum in Conyentu, & cum pascendis quadraginta  
fratri-



fratribus quotidie sexaginta requirerentur non nisi decem aderant reliqui. Differri iussit P. Subprior mensam, donec cæteri allati essent, veniensque ad Sanctum virum se excusavit, cui illi: *Non sic, non sic* inquit, *statim detur signum ad mensam*: eademq; bis, & tertio obloquæti Subpriori regressit, qui cum necdum cederet, quartò dixit illi vir Sanctus. *Pater parceas queso verbis, & fac quod iussi, Dominus providebit.* Hic abiit Subprior non nihil turbatus, iussitque reliquos panes frangi, qui mirabiliter inter frangentium manus multiplicabantur, ita ut omnibus abundè sufficerent. Non advertit autem miraculum P. Subprior, nisi postquam secundum gratias actas alii panes è viciniâ allati fuissent.

Ut ergo pro multis in Conventum collatis à Deo beneficiis gratum se exhiberet, statuit Augustam, ac magnificam ei Crucem erigere: sed cum propter communem necessitatem id dissuaderent Religiosi, sciens ille ex quo thesauro expēsas depromp-  
 turus esset, respondit, quod hæretici multò plures, majoresque sumptûs facerent ad evertendas Cruces in locis suæ potestati  
 subjec-



subjectis. Operi affabrè eleganterq; perfecto nomen ejus, ipso inscio insculptum fuit, sed hoc animadvertens statim tolli jussit.

In Vigilia Nativitatis Domini venit in locum, nomine Leria, ubi à Parocho benigne exceptus est. Vesperi autem iturus cubitum diu in oratione permansit, sed cæteris dormientibus, lecto, ac si in eo quievisset, relicto, solus in stabulum descendit, & juxta præsepe reliquam noctis partem in meditatione illius ineffabilis mysterii insumpsit. Frater quidam recenter professus peccata sua generaliter ei confitebatur, & ex rubore quoddam peccatum subdicebat, quod advertens vir Dei, modestè dixit illi. *Quid Frater? vis ne esse alter quidam Judas, asendo tale peccatum?*

Duo Fratres Conversi solito copiosiorè Eleëmოსinam in Civitate Valentina collegerant. Hi clam Sancto Virò aliquid retinere decreverunt, quo alias collectas, quæ nonnunquam tenuiores erant, supplere possent, sicq; vnus monetam quandam argenteam in calceo, alter aliam in manicâ abscondit, accedentesque Virum Sanctum eleemosynâ tradiderunt, à quo interrogati, *esset ne ea*



*rota Collecta, esse totam responderunt, con-*  
*versusq; ad unum, ego tamen inquit, non vi-*  
*deo hic partem illam, qua est in manicâ. Et ad*  
*alterum. neque partem qua est in calcio. Tunc*  
*illi statim culpam suam agnoscentes, sui*  
*mendacii veniam postularunt. Postridie*  
*Dominum Hieronymum, de quo supra, ac-*  
*cedentes narrantesque quid eis evenisset,*  
*dixerunt. Verè Domine nescimus quid facere*  
*debeam⁹, quamvis enim Prior noster surdaster*  
*sit & obtusâ oculorum acie, scit tamē quid quid*  
*facimus, tamen si nemo id ei referat. Labora-*  
*bat in culina Frater quidam Novitius, vo-*  
*lensque in festo Patroni Civitatis liberalius*  
*Fratres tractare, nescio quo impatientiæ*  
*motu repente actus, statuit omnia ibi relin-*  
*quere, & clam in vicinum montem aufuge-*  
*re. Cognovit hoc Vir Dei, accurrensq; dixit*  
*illi. Scio fili, quod valdè turbatus sis, sed habe*  
*patientiam, ego statim revertar & te consolabor.*  
*Quibus auditis á tentatione liberatus fuit, &*  
*post modum constanter in Ordine permansit.*  
*Illustris quidam vir in mari constitutus*  
*periclitabatur, cujus afflictam uxorem, ac*  
*de mariti salute sollicitam visitavit S. Pater*  
*dixitque. Domina noli affligi animo, Do-*  
minus



minus consolabitur conjugem tuum, vide-  
bisque eum in regimine & possessione sui  
status, sed ad huc triennio patienter expec-  
ta, ego pro eo Deum rogabo. Quod præ-  
dixerat, quomodo præfagiit, evenit. Habe-  
bat á confessione mulierem quandam, quæ  
post denudatam conscientiam adhuc uno  
discruciabatur peccato, quod inter alia con-  
fiteri voluerat, sed effugerat memoriam, ad  
quam revocare illud cum diu sollicitè labo-  
rasset, non poterat. Aperuit suam anxietatē  
Sancto Confessario, ut per illum recorda-  
ri posset, quod oblita fuit. Is vero statim res-  
pondit: *Fersan est illud de curru!* illa curru  
vecta ex bigæ agitatione, & concussione gra-  
vem, nec unam tantum impatientiam passa,  
de hac se ream agere coram Dei ministro  
volebat, sed per oblivionem non valebat,  
quousque currus admonita, impatientiæ re-  
cordata fuit. Incessit illa impatientia prope  
locum, qui dicitur *macroso*.

Infirmabatur graviter, senior filius D. Joa-  
chimi dentellas, qui pro salute filii sollicitus  
conscenso equo venit ad Conventum S: O-  
nuphrii, procidensque ad S Viri pedes, ro-  
gabat ut pro filio Deum præcicaretur. Fecit  
ille



ille quod rogatus fuerat, & ab oratione surgens dixit illi: *Bono esto animo, ex hac infirmitate filius tuus non morietur.* Delibutus multo solatio vir nobilis, ubi domum rediit filium extra omne periculum invenit. Idem ille à Viro Sancto obtinuit pro vxore suâ, quæ ad extremam horam pervenerat.

Nobilis quædam erat fæmina, quæ occultam gravemque, & soli Deo notam patiebatur inopiã. Cognovit hoc divinitus Sanctus Pater, atq; per filiam quandam spiritualem misit ei duodecim imperiales. Erubuit illa accipere donum, simulans se non esse eam quam putaret. Tum verò illâ asserente se à P. Ludovico missam, ut has ei pecunias deferret, acceptavit, & paupertatem suam confessa soli Deo innotuisse testata est.

Alia quædam adolescentis nobilis amore capta, ejus libidinibus se omninò permittebat, quã vir S. frequenter dehortans cum nihil proficeret, ad orationis præsidium confugit & à Deo exauditus, nocte dormienti fæminæ apparuit ingenti lumine circumdatus, & intento in ejus frontē digito, torvisq; oculis in eã intuens, minas intētabat, ni flagitiosã vitã relictã ad meliorem se reciperet: vo-  
cans.



canſque adoleſcentem nobilem, totam facti ſeriem ei narravit; qui ſimili quoque terrore percuſſus emendationem ſpopondit, & ambo deinceps piè, & caſtè viventes, omnibus de ſe virtutis exemplum exhibuerunt.

Fuit & quædam, quæ poſt longas, & importunas Adoleſcentis ſolicitationes, decreverat in ejus voluntatem deſcendere. Quæſitus juvenis nocte, cum domi non reperiretur, nec pro more ipſus adveniret, miſera illa nocte amañum præſtolans, malo propoſito tot horis inhæſit. Acceſſit eam vir Sanctus, dixitque illi ſecretò. *Filia Deus tibi ignoſcat, tota hac nocte me vigilare feiſti, ne in peccatum caderes.* Illa rubore perfuſa incontinentiæ ſue veniam petiit, & emendationem pollicita, deinceps magnâ puritatis laude enituit.

### C A P V T X.

*S. Ludovicus Valentiam revertitur, denuò Novitiis præficietur, plura miracula edit.*

Completo Prioralis officii triennio Valentiam reverſus, denuò Novitiis Præfectus fuit, & Concionatoris quoque munus impigrè adminiſtravit, quo durantè admiranda multa fecit, vt ſequentia exempla demon-



strabunt. Calatayudâ Valentiam venerat R. P. Michael Ferrarius, Ordinis Religiosus S. Ludouicum invisurus, á quo humaniter exceptus, & in hortum Novitiorum colloquij gratiâ, ductus fuit. Inter varios mutuæ conuersionis sermones, impressit fronti eius Crucis signum, & dixit. *Pater noli obliuisci tale peccatum confiteri.* Mox ille peccati, quod annis quatuor ante Religionis ingressum Commiserat, recordatus, confessus est. Hinc omnium erga ipsum tanta erat reverentia, ut nemo accedere eum auderet nisi primo confessus, aut melioris vitæ propositum fecisset. Quidam præsbiter non discusso conscientiæ statu venit ad Conuentum, pulsat ad ostium cellulæ Viri Sancti, qui aperiens, & eum toruè intuens, durè in crepatum repulit, clausitque ostium. Abijt ergo plurimum exacerbatus, & insolitam correptionem ægrè ferens, donec memoriæ eius occurreret quoddam peccatum ante hac commissum, de quo seriò dolens, factò melioris vitæ proposito ad S. Virum reversus est, atque ab eo benignè & humaniter exceptus.

Eodem quoque spiritu cuiusdam nobilis



lis fæminæ, quam visitabat, peccatum cognovit, accipiens enim illam seorsim, & digito in locum quendam intento, dixit illi. *Domina ibi sæpè graviter cum tali offendisti.* Vidensq; eam pudore suffusam, & magno timore concussam, consolatus est eam, dicens vt in honorem quindecim mysteriorum SS. Rosarii totidem Missas legi curaret; quo audito magis obstupuit, voverat enim quindecim Missas, vt ab illius personæ turpi consuetudine liberari posset. Fecit quod iussa erat, & in castitatis proposito deinceps constanter perseveravit etsi priores non deessent peccandi occasiones.

Visitavit illum quidam Professor, ignorante S. Viro Iubilæū lucratus. Quem vt vidit Vir S. nullâ præviâ salutatione diu intendens in illum, dixit. *Cave ne deinceps propositum mutes, iam enim tecum rectè agitur.* Vix ejus cellulam ingressus fuerat quidam optimus eius amicus Regis consiliarius, cui Ludouicus, *constans esto,* inquit *Domine constans esto.* Quærenti, *In quo pater?* Respondit *In â causâ qua in tali loco tractata fuit.* Volenti autem scire, unde eius rei, quæ secretissima, erat, notitiam haberet monstrans  
Cruci-



Crucifixum dixit. *Iste est qui mihi revelavit.*  
 Crucifixus ille nunc apud D. Joannem Ru-  
 iil de Arenas asservatur.

Vir non infimæ conditionis, metuens ne  
*Ludovicus* ejus publica crimina, publicè pro-  
 suggestu consuetâ libertate redargueret, ex-  
 ploratores miserat, qui observarent num  
*Ludovicus* de eo mentionem faceret. Ibant  
 igitur duo simul, quibus tertius accessit om-  
 nes tristes, & alter alterius mentem igno-  
 rantes. Audacior autem cæteris vnus dixit.  
*Ausim affirmare, quod nos tres eadem de cau-  
 sa tristes ambulamus.* Responderunt alii duo,  
 mæstos se esse, quod ad explorandum P. Lu-  
 dovicum missi sint. *Et ego ait tertius, vere  
 eadem de causa missus sum, & tristis.* Itaque  
 ingressi Ecclesiam, & simul aures arrigentes,  
 audierunt in hæc verba *Ludovicum* prorum-  
 pentem: *Pharisæi non nisi vnum Iudam contra  
 Christum miserunt, sed qui me querit, tres ad-  
 versum me misit.* His dictis se mutuò respi-  
 cientes, & attoniti, quid ipsis accidisset  
 Domino nuntiarunt.

Divinâ quoque revelatione cognouit P.  
 Magistri Ferrandes obitum. Audiens namq;  
 à P. Magistro Palao quod graviter infirma-  
 retur



retur dixit *eben vidi eum hac nocte in isto loco* [ : Ostendens sedem quæ erat in ejus cellâ: ] *quasi mortuum*. Similiter visitans P. Bartholomæum pavia virum mitissimum, & in doloribus maximis patientissimum cum lectis more consueto super eum Evangeliiis nihil proficeret, ad orationem confugiens, divinitus cognovit permissum à Deo esse dæmonibus ut ad augendam patientiæ ejus coronam, gravissimis istic alvi, & stomachi doloribus cruciaretur. Non minus verum fuit quod Duci Francisco de Borgia à medicis desperato prædixit, monens ut bono esset animo, futurum, ut ab infirmitate liber, ambos filios adhuc, innuptos, junctos matrimonio videret.

Anno 1574. Magister Novitiorum missus est prædicandi causâ quadragesimali tempore in Boria, locus est vnâ diætâ Valentiâ distans. An in eo loco sequens Historia contigerit, non constat, contigit tamen dū esset Magister Novitiorum, ideoq; hic eam collocabo.

Duo erant non mediore auctoritatis viri, qui torum conjugalem turpiter polluentes, maximo cum omnium fidelium scanda-



## Vita S. Ludovici

pellices alebant. Hos Ludovicus Evange-  
li præcepti memor monuit, primò quidẽ  
cretò, & nunc blande, nunc severè, tètatis  
odis omnibus sed emendatione nulla se-  
quente, acriter adulteros communi tamen  
sermone generaliter perstrinxit, tandẽ vero  
palam eos redarguit, tanta vi, & efficacità ver-  
borum, ut saxum quoq; pectus emolliri  
potuisset. Audierat autem cathedram con-  
scendens vocem clarè & distinctè sibi ver-  
ba suggerentem, quibus tam abominabilis  
péccati horrorem exprimeret. Non evasisset  
sanè mortem alioqui desideratam nisi divi-  
na virtute servatus fuisset aderant enim  
præfentes in quos tam acriter invehebatur.  
Horum vnus tanto virum Dei furore aggres-  
sus est, ut ipsum è cathedra præcipitare ten-  
taverit, sed repentè flammis cinctus absti-  
nuit, vehementi pavore perterritus. Non re-  
sipuit tamen miser, sed ad pellicem rediit,  
ubi eum denuò invisibilis ignis arripuit, pel-  
lex autem nimio timore percussa, domo  
aufugit, & ad S. Virum cucurrit, procidensq;  
ad pedes eius, veniam petiit, confessa est, &  
ab illo ad suum parentem reducta.

Alter verò, qui furori habenas eo usque  
non



non laxaverat, concepto in eum inplacabili odio, decrevit eum interimere. Cognovit hoc divinâ revelatione vir Sanctus, nec tamen propterea à prædicandi officio destitit. Cum quâdam vice obvium habuisset hominem illum equo insidentem, non se abscondit, neque fugit, sed audacter eum accessit, petiitque num fortè re quapiâ gratificari ei posset: His ille repente dexterâ Excelsi immutatus, errorem agnovit, perfusis lacrymis equo desiliit, ad S. Viri pedes corruit, veniam petiit, emendationem promisit.

In eodem quoq; loco vir ab altâ cadens oleâ, confractis totius corporis membris loquelam amiserat. Advocatur subitò Ludovicus, præcepit in nomine Christi ut loqueretur, recepto linguæ usu confessus, sumpto viatico statim expiravit. Peractâ quadragesima Valentiam reversus, cum collectis elemosynis quadam die domum rediret, obvios habuit duos sicarios, à quodam viro quem palam corripuerat, subornatos, qui S. Virum adori cogitantes, Majestate vultus ejus nescio quid divinum præferente perterriti, tangere eum timuerunt, & illæsum abire permiserunt.



## CAPVT XI.

*Eligitur Prior Conuentus Valentini Modus,  
quo ad illud officium administrandum  
usus fuit, exponitur,*

**V**acante valentino Prioratu, Religiosi Patres, quorum plures ab eo ad religiosos mores eruditi, & spiritualis gratiæ alimoniam acceperant, materni ejus affectus memores, in Patrem suum, & Priorem unanimiter elegerunt. Itaque 15 Maij Anno, 1577 à Provinciali confirmatus Priorale onus & officium suscepit. Lectis patentibus suæ institutionis literis ad S. Vincentii cellulam se recepit, procidensq; ante ejus imaginem Priorale officium ei integrè resignavit, promittens se diligentem eo triennio futurum ejus subpriorem. Ab eo tempore tantam erga eum fiduciam concepit, ut decreverit nihil imposterum aut agere, aut omittere circa Conuentus directionem, nisi prius consulto S. Vincentio: ea propter solebat non raro Monasterij claves ei deferre, atq; ad ejus pedes ponere, rogans vt Priorem ipse ageret, suoq; Conuentui de necessariis provideret. Hac ratione ita sibi S. Virum devinxit,

devinxit,



devinxit, ut nunquam quemadmodum ipse  
 factus est aliquid ab eo petierit, quod pro  
 voto non impetraverit. Taceo hic privatas  
 apparitiones quibus ab eo frequenter hono-  
 ratus fuit. Communis erat inter Religiosos  
 opinio, quod cum Ludovicus ad pedes sacræ  
 in rigidâ tabula depictæ imaginis, quadam  
 vice more consueto claves posuisset, eosque  
 osculari vellet, illa se inclinarit, & Ludovi-  
 cum amplexata prohibuerit suis pedibus  
 osculum figere. Adjuratus eam ob rem à  
 fratribus, & importunis eorum precibus  
 compulsus, dixit, se quidem hanc gratiam à  
 S. Vincentio fuisse consecutum, sed ideo ut  
 Prioralis officii, & Conventus onera, quæ  
 velut asina Balaam, tunc portabat, forti &  
 patienti animo ferret, aliisq; bono exemplo  
 præluceret.

Hoc cœlesti favore relevatus, boni pas-  
 toris officium exercere constituit, majuscu-  
 lisque characteribus, ea Apostoli verba, *si*  
*hominibus placere, Christi servus non essem,*  
 suæ cellulæ ostio affixit, ut nunquam memo-  
 ria exciderent. Officiales à se institutos in  
 suis muniis impigros, ac solertes esse voluit.  
 Vanos, ac frivolos respectus non admittebat  
 monens



monens quemlibet privatim & publicè, si quid emendandum advertisset; dicebat enim sibi non solum de junioribus, & simplicioribus, sed etiam senioribus, & doctoribus coram Deo reddendam esse rationem. Venerabatur tamen quàm maximè viros doctos, & amore singulari prosequabatur, & discretè tractabat.

Verum quanta sui Prioratus tempore passurus esset, visio sequens demonstravit. Oranti siquidem tres apparuere Virgines, quarum quælibet præbebat intuendam Salvatoris faciem, ea forma, quam excepit S. Veronica, ut sic Christi crucem bajulantis intuitu, & recordatione, ad omnia fortiter, constanterque perferenda accenderetur. Quamquam autem regularis observantiæ disciplinam zelo ardētissimo tueretur, hunc tamen rigorem levem, jucundumq; religiosus efficiebat, singularis ejus amor ad omnes, & paterna sollicitudo de omnibus quæ ad honestam eorum sustentationē in victu, & vestitu pertinebāt. Referunt ejus vitæ scriptores adeò splendidè suos tractasse Religiosos, ut ea in re parem sibi non habuerit. Cibos priusquam fratribus apponerentur ipse oculis arbi-



## Bertrandi Ord. Prædicat.

arbitratur, & mensæ semper intererat, nisi infirmitas impedisset, in qua tamen cibum quandoque ab amicis missos, inter fratres & infirmos distribui curabat. Tanta erat eius erga debiles & infirmos charitas, & cura, ut assererent omnes, nunquam se tantam in domibus paternis humanitatem, expertos fuisse, quanta quotidie ejus providentia, & sollicitudine ministrabatur in loco hospitâdis ægrotis constituto. Non sinebat eis quicquam in vestimentis, aliisque necessariis decesse, volebatque ut nunquam se difficile in dandis necessariis procurator exhiberet, dicens esse rationi consonum, ut elemosynæ, quas suis laboribus fratres acquirunt, in eorum quoque usus verterentur. Etsi autem tantam profusionem non pateretur annonæ caritas & maximus fratrum numerus, tamen quamdiu Ludovicus S. Vincentii subprior emegit, ex eius thesauro abundè habuit quæ nedum fratrum necessitati, sed & plusquam trecentorum pauperum alimoniam sufficerent, quibus voluit more solito elemosynas erogari, quantumvis Patres ei temporum penuriam sub inde obiicerent, quibus ipse illud venerabilis P. Michaelis de S. Dominico dictum



dictum reponebat. *Date multum pauperibus, qui concurrunt ad portam, & multum recipietis per Ecclesiam.*

Stabat quadam vice ad cellulae suae fenestram valde afflictus, cum ecce ante oculos ejus in terram decidit avicula, quae ob fractam tibiam amplius volare non poterat. Condolens ei vir Sanctus, & laborantem aviculam attentè considerans, audivit vocem verba Domini Matt. 10. referentem. *Unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro.* His ejus animi dolor sopitus est.

Oranti post matutinas apparuit cujusdam patris anima, veniam ab eo humiliter postulans. Is S. Viri quondam spiritualis filius fuerat, à quo pro religiosae observantiae neglectu cum subinde objurgaretur, & ille paternam correctionem non ferens diceret, ipsum aliud nihil habere negotii quam quod aliorum actiones coargueret, qui tamen multarum rerum ignarus esset, respondit ei, vir sanctus, *scientia non est certa ad caelum via, Lucifer enim omnium naturalem cognitionem habuit, & tamen damnationem aeternam non evasit.* Non tulit autem impune eam obmurmurationem frater ille, nam vita functus, purgatorio igne culpam hanc rigide expiavit, nec



prius inde liberatus fuit, quàm à Sancto Vi-  
ro veniam postulasset, & hic Missam pro eo  
celebrasset. Fecit hoc Sanctus Pater primo  
manè; ipse autem nocte sequenti apparens  
illi, gratias egit: & quærenti Ludovico, an  
sciret ipsum in Dei gratia esse, nec ne? Res-  
pondit. *Ne timeas Pater, Deum semper co-  
le, & constanter venerare, ille te plurimum  
diligit.* Et his dictis disparuit.

Similiter cujusdam Fratris conversi libe-  
rationem à purgatorio, & gloriam divinitus  
cognovit. Obierat ille morte subitanè cum  
ingenti omnium dolore, & pro ejus salute  
integro mense Deum precatus fuerat, tan-  
dem ejus apparitione plurimum exhilaratus  
fratrem illum de suâ salute securum esse  
omnibus nuntiavit. Intereâ ipse peregrina-  
tionis suæ conditionem, & in certitudinem  
salvationis suæ considerans, semper in timo-  
re & metu vivebat, quòad tandem famuli sui  
misertus Dominus, de salute suâ certum, se-  
curumque reddidit. Legabat ei in festo S.  
Catharinæ virg. & mart. frater quidam e-  
jusdem vitam, & martyrium; cùm repente  
cœlitus illustratus, erectis sursum oculis in  
hæc verba prorupit. *Ab, Ab, Domine. obstu-*

D S

pefactus



pefactus frater quærit quidnam acciderit; verum aliud respondere non potuit, nisi, *benè est; benè est.* Sibi verò restitutus dixit, sub câ lectione quosdam menti suæ, divinæ claritatis radios illapsos fuisse, vocemq; huiusmodi audiuisse. *Tu vivis modo in tenebris, in dolore, & timore, dubia salutis tue, sed veniet dies, quando gaudebit cor tuum, & fruere claritate perfecta, & iucunditate cœlestis nostræ Ierusalem, quam nemo à te in æternum auferre poterit.* Ab eo tempore pacata fuit vehementer anima ejus, nihil tamen de consuetâ pietate, & humilitate remisit.

Anno 1578. alterâ Regum accessit eum mulier quædam rogans vt infirmam quandâ visitaret. Vix illa hoc dixerat, quando Ludouicus, *nunquid est, inquit, cognata tua?* quam tamen nec noverat, nec vnquam viderat. Respondente illâ, *Ita Pater;* cæpit huc illuc caput vertere, tanquam indicare volens, nihil in hac re posse se infirmæ opitulari. Perterrita hoc signo mulier abiit, & de vitâ cognatæ suæ actum esse palâ nuntiavit. Redit tamen secundo ad Sanctum Virum, rogat vt vesperi, aut saltem postridie ipsam accedat,



accedat. Cui Pater: *si hoc vesperi* inquit, *non accedam, cras eam non videbo.* Iuit ergo illo vesperi, & priusquam infirmæ loqueretur, affedit matri ejus, eamq; ad patientiam, & veram resignationem est adhortatus. Deinde infirmam monuit, vt se ad mortem præpararet, rursusq; parentes ad tolerandum patienter filix obitum animauit; Mirabantur omnes qui aderant; videbatur enim ejus iudicio jam mortua, cum tamẽ morbus aliorum opinione adhuc quorundam mensuram vitam promittebat. Reliquit eos in hac opinione, & lectis quibusdam super ægram Euangeliis discessit. Vix abierat, quando eam invaserunt acerbi dolores, quibus ad extremam horam deducta, circa noctis medium, animam suo reddidit Creatori.

Eodem lumine cognouit Illustris Viri Domini Roderici Salzedi quandam absque suo consilio factam rei grauis promissionẽ. Rogatus nimirum ille ad instantiam Vice-regis, vt Assessoris officium acceptaret, inscio, & inconsulto Sancto Viro Confessario suo, consenserat; at conscientia stimulante quod in re tanti momenti Patrem spirituale non consulisset; venit ad illum quærit, quid sibi



sibi hac in re faciendum videretur, an oblatum à Vice-Rege officium admittere consultum esse judicaret. Risit ad hæc Ludovicus, & dixit: *quid ais Domine mi? estne iam tempus hac super re me consulendi?* obstupuit Rodericus, erat enim tota res occultissima, & nulli prorsus nota, nisi illi, qui præstiti consensus literas Vice-Regi attulerat. Sed & præterea Vir Sanctus ei datarum litterarum diem declaravit. Vnde Patrem Magistrum Justinianum accedens, dixit. *Verè oportet me deinceps valdè cautè, & sincerè procedere, videt enim Confessarius meus omnia, quæ facio; & dico.* Erat in eodem Conventu alius servus Dei, qui pro S. Ludovico frequenter Deum orabat; Hic videns dictum D. Rodericum è cellâ Sancti Viri exeuntem, dixit illi. *Domine Salzedo debes impostero Sanctum Patrem chariorem habere.* Cui ille, *quomodo scis, Pater, eum esse Sanctum?* *Oraveram, inquit, Deum pro eo in cella mea, eumque elapsis paucis diebus eum visitassem, simul ac me vidit, clamavit: O Pater mille, mille gratias, verè multum me obligasti.* *Causam autem quarerem, dicebat, quod tali hora pro te Deum orarem, vidisset, me brachiis expansis*



*expansis precantem, quod à nemine nisi revelatione divinâ sciri poterat.*

Interrogavit aliquando juvenem, qui Monasterio inserviebat, num vellet fieri Religiosus. Cui ille: *Ego Pater hac de re nondum cogitavi.* Bene est Respondit vir Sanctus: *Scias volo quod Religiosus morieris.* Hæsit ejus animo tam firmiter hoc verbum, ut nocte ac die non habens requiem, ad Carthusianam Religionem transire decreverit. Quâdam die coactus fuit R. P. Valpedrosa Soc. Jesu in Conventu pernoctare, sed tantos nocte illa passus fuit capitis dolores, ut visum amiserit; Manè duci voluit ad Sanctum Patrem qui vultu hilari, blandè, comiterq; eum allocutus quæsiuit, quomodo secum ageretur. Verum dum ille talia loqueretur eodem momento à doloribus liberatus est, & visum recepit.

Nobilis fœmina Francisca Ferreria doloribus partus vehementer discutiabatur. Aduocatur Ludovicus sed cum ipse etiam plurimum orans nihil proficeret, scripsit in chartulâ Antiphonam, *Nesciens mater virgo vitam, peperit sine dolore Salvatorem seculorum, ipsam Regem Angelorum, sola virgo laetabatur*



*Et abae ubere de coelo pleno, deditq; illi in manus cum cereo benedicto, & statim prolem vivam in lucem edidit.*

Anno 1577. cum quâdam die in pago Moncada prædicasset, oblata est ei quædam puella à serofulis corrofa, vt digitis consecratis puellæ collum tangere dignaretur. Advertit Vir Sanctus eâ petitione miraculum expectari, ideoq; se excusans remisit eam ad alium, qui eiusmodi malo mederi consueverat. Non acquieuit puellæ mater; dicens se omnia naturalia media adhibuisse, opem nunc quærendam esse ab aliquibus bonis Dei famulis, qui tam inueteratum malum nouerint depellere; Ad hæc Ludovicus: *si ita est, inquit, profecto hominem istum in me non inuenisti; vade Valentiam, ibi alios reperies, qui tibi abundè satisficient.* His dictis cœptum sermonem suum prosequebatur. Mater verò signum dedit puellæ, vt collum denudaret, & Sancto Viro ostenderet. Ille simul vidit, & vehementer exhorruit, & compassionis affectu permotus, nonnihil se recolligens, hæsit quasi attonitus ex aspectu tam horrendi vlceris, moxq; sibi redditus præter morem decorus apparuit vultu non-

nihil



nihil coruscante. Tunc peculiari S. Spiritus instinctu motus puellam accepit, omnesq; colli partes corrolas linguâ suâ linxit, eoque facto in extasim raptus est, & omninò immobilis permansit. Jussit autem parochus qui etiam aderat, Virum Sanctum in sede collocari, ne restitutus sensibus dolorem in membris sentiret. Huic insignis mortificationis exemplo successit miraculum, nam eodem momento puella cœpit convalescere, & post paucos dies integræ sanitati restituta fuit. Eodem malo cruciatam Dominae violantiæ de Mediolano famulam, suspenso ad ejus collum Rosario, liberauit.

Appropinquante autē sui Prioratus termino, sperabat sibi permittendam quietem aliquam, sed revelante domino didicit, non decere famulum Dei sine cruce esse, unde redeunte illo à matutinis precibus ad cellâ, hæc ad ejus solatium vox insonuit. *Deo magis placet cordis afflictio, contritio, & tribulatio, quam dulcedo, & consolatio.* Interrogatus autem, an non hac voce terrefactus fuisset, respondit, nequaquam, eo quod sibi multis interioribus afflictionibus assueto, vita Crucis suavis & amabilis facta esset.

CAPUT



## CAPVT XII.

*In quo ostenditur quantà Prophetia, & discretionis cordium gratia floruerit.*

**A**Duenit tandem diu exoptata dies, quâ Prioralis officii onus deposuit; sed non diu à laboribus feruari permixsus est, nam vix degustatâ solitudinis quiete, rursus Novitiis præfectus fuit adjuncto insuper onere prædicandi in quibusdam locis, in Aduen- & Quadragesima, ad instantiam quarundâ illustrium secularium personarum. Interea, Vir Sanctus quicquid ei temporis superfluû erat, id totum orationi tribuebat, in quâ tam secreta & arcana ei revelabantur, vt nullius Sancti vitam me legisse meminerim, qui dono prophetiæ eum excelluerit, quemadmodum in hoc capite videre est.

Anno 1578. in festo Sanctissimi P. N. Dominici assidens mensæ, audiuit vocem dicentem, *Rex Portugallie mortuus est, eiusq; exercitus profligatus.* Finita mensa vocauit socium suum, narrans quæ audierat, addiditq; *Videbis quoo hæc vera sint.* Elapsis decem diebus aduenit cursor, nuntians Regem Portugallie in prælio occubuisse, ejusque

EX



exercitum 4. Augusti á Mauris in Regno de Fez profligatum fuisse.

Eodem anno inuisit eum Dux de Naiera, quem humaniter excipiens Vir Sanctus interrogavit, quí haberet sua Majestas Catholica, cum habere peroptimè Dux respondisset, subjunxit Ludovicus. *Non sic res habet. Necessè est ut pro eo fiant orationes.* Elapso triduo è curia literas Dux accepit, quibus significabatur, Regem graviter ægrotare.

Anno 1579. mense Novembri accessit Virum Sanctum Domina Dorothea Garcia ejus precibus, & sacrificiis maritum suum Dominum Christophorum Perez de Almazan commendans, abierat enim in Siciliam; Ille autem præsciens quid veller, priusquam illa loqueretur dixit. *Domina instanter oret pro marito suo, valde enim indiget.* His illa perterrita, *Ab inquit, maritus meus mortuus est.* & Bertrandus. *Non est mortuus, sed videbis eum Valentie, verùm diligenter pro eo Deum precare.* Elapso mense literas à viro accepit, quibus significabat se non sine miraculo singulari pyratarum manus, & varia maris pericula evasisse, ac tandem Neapolim vitâ ægrè servatâ appulisse. Cognovit ergó hæc



hæc marito paucis diebus accidisse, quam Sancto Viro eum commendârat; Interea Valentiam rediit Dominus Christophorus, & mortuâ vxore Societatem amplexatus est.

Anno 1579. in Januario cum esset in cella sua cum D. Alphonso Palomeo, respiceretque per fenestrâ quod copiosos imbres cœlum minaretur, dixit ei D. Alphonfus. *Pater Ludovice ista aura non videtur inepta serendis terre frugibus. Verum est, inquit Vir Sanctus, & nihilominus per exigua messis erit, propter hominum peccata quæ in civitate perpetrantur.* Non credidêre verbis ejus multi, eò quod cœli clementia & temporis benignitas futuræ messis abundantiam præfagire videbantur: sed appropinquante Aprili prophetiæ veritas comprobata est, per superuenientem ariditatem, quæ vniuersas terræ fruges consumpsit, & aquarum inundatione in Septembri, quæ omnes vineas devastauit.

Anno 1580. mense Decembri profectus est Ludovicus cum Archiepiscopo Valentino ad locum, qui dicitur, *Torrente*, vt animum diuinis semper intentum non nihil relaxaret. Ibi inter cætera, facta est mentio Domini Michaelis Vick Cathedralis Eccle-

siæ



sive Canonici periculose ægrotantis, quem  
 precibus ejus Archiepiscopus sollicitè com-  
 mendavit rogans, vt datâ occasione eum in-  
 viseret. Orauit igitur Ludovicus pro eo,  
 viditq; in oratione mortuum, qui adhuc vi-  
 vus in lecto jacebat, vnde paucos intra dies  
 Canonicum moriturum cognouit, statuitq;  
 eum inuisere, & monere vt de rebus suis ma-  
 ture disponeret. Iuit, & illum quidem ex  
 parte sanatum, domesticos verò in præpa-  
 rando amicis convivio pro Natalitiis Do-  
 mini occupatos invenit. Verùm quid even-  
 turum esset sciens Vir Sanctus, dixit illi.  
*Domine noli de his esse sollicitus, alia nunc  
 tractanda sunt, dispone domni tua, quia in  
 nocte sacratissimâ Nativitatis Domini morie-  
 ris. Nec turberis hoc nuntio, ego enim te bre-  
 vi sequar.* His dictis etsi vehementer perter-  
 ritus, fecit tamen quod jusserat vir Sanctus,  
 & cunctis ritè dispositis ipsâ Nativitatis Do-  
 mini nocte, piè admodùm & Christianè in  
 Domino obdormiuit.

Hos quoq; spiritus prophetici effectus  
 experta est Seraphica Mater Theresia, cùm  
 ex diuinâ revelatione Sancto Viro factâ,  
 cognouit suum de reformandâ Religione  
 Carme-



Carmelitanà propositum, illius precibus singulariter commendatum, Deo placere & fœlicem fortituum esse effectum: de quâ revelatione continuis quatuor mensium orationibus tandem à Deo obtentâ, Seraphicam Matrem his pauculis lineis reddidit certiozem.

*MATER THERESIA.*

*Literas tuas accepi, sed quia negotium de quo me consulis, admodum graue est, & ad Dei gloriam plurimum conducens, oportuit prius multis precibus Deo ipsum commendare; quod causa fuit quod tibi citius non responderim; Nunc autem ex parte eiusdem Dei tibi significo, intentionem tuam illi esse gratissimam, proinde ne tardes tam salubri operi te accingere nec diffidas, aderit tibi de cœlo auxilium; Præterea etiam tibi significo Ordinem tuum intra proximè secuturos quinquaginta annos in Illustrioribus Ecclesie Dei ordinibus non infimū locum esse habiturum, pro quo Deum assidue precabor, ut illum, & re benedictione sua foveat, & prosequatur. Vale in Domino. Datum Valentie.*

Tres ejusdem Ordinis Religiosi Valentiam venerunt, & horum duo Sanctum Patrem

trem



trem visitarunt. Duxit eos ad cellam S. Vincentii, ut omnia perlustrarent, & suæ devotioni satisfacerent; Interea discessit ab eis, & pergens ad cellam suam, trium horarum spatio in oratione permansit, surgensq; venit rursus ad Religiosos illos, auidè eum expectantes, duxitq; ad aliud conclaue, iubens ut vnus ad dexteram, alter ad sinistram sederet: conversusq; ad eum qui dexteram tenebat, dixit. *Pater tu eris Benjamin, id est filius dextera, sic enim solet Prior tuus se vocare.* Obstupuit ille plurimum, sic enim ille à Priore suo vocari consueverat, sed ipsis solis nota erat hæc singularis affectio. Rursus loqui cœpit in hunc modum. *O Patres mei vtinam qua vobis dicturus sum, scripto, aut tenaci memoriâ excipere possitis.* Ecce video arborem, ex cuius trunco tres rami nascuntur, quorum vnus licet humorem habeat, nunquam tamen fructum faciet, & ideo veniet hortulanus, & amputabit illum, & in loco angusto recludet. Alter vero fructus quidem faciet, sed quia viridis est, statim abscindetur. Tertius denique multum fructum afferet, & ideo magna cura conservabitur. Quibus dictis adjuravit eos ne secretum revelarent, allegans



gans ea Domini verba Matth. 17. *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mo tuis resurgat.* Verum elapso exiguo temporis spatio, rei eventus arboris mysterium explicavit. Arbor significabat Religionem, quæ tres illos Religiosos protulerat, quorû unus in amentiam lapsus, carceri reclusus fuit. Alter præmaturâ morte obiit finem imponens passioni iræ, cui aliquantum subiectus erat. Tertius verò Religiosissimè vixit multis meritis, & virtutibus præclarus.

Infirmabatur ad mortem quidam Vincen-  
tius Vasiero, auditoq; affinem suam Sancti  
Viri prædictione sanitatem recuperasse, op-  
tabat idem sibi prædici. Accersitur Ludovi-  
cus domumq; ingressus non supervicturum  
dixit, elapso namq; bimestri è vita migravit.  
Domina Isabella Hieronymi vxor ipso sa-  
cratissimæ Assumptionis B. Virg. festo, vi  
febris, destituta omninò sensibus jacebat.  
Invisit eam Vir Sanctus, lectisq; super illam  
more suo multis Euangeliis, extraordina-  
rio quodam spiritu permotus, erectis in cœ-  
lum oculis flere cœpit, atq; astantibus dixit:  
*Gaudeamus omnes in Domino, Beatissima  
Virgo, cuius festum hodie celebramus, hanc*  
*infirm-*



*infirmam à morte præservabit.* Quibus dictis  
 matri assedit, multaq; de laudibus gloriosæ  
 virginis præclare disseruit; deinde accedens  
 lectum decumbentis, ejus capiti manum im-  
 posuit, & ex contactu omnis penè dolor re-  
 pentè evanuit. Egresso igitur Ludovico mu-  
 lier sibi restituta, & subitam in se ipsâ muta-  
 tionem sentiens, sæpius illud secum repli-  
 cabat: *O me miseram qua cum tam Sancto Vi-  
 ro loqui non potui;* Postridie invasit eam rur-  
 sus acutissima febris, & illam eò redegit, vò  
 Sancti Viri prophetia propemodùm veniret  
 in dubium, & omnes erumperent in lach-  
 rymas; sed hoc malo liberata, plenè tandè  
 sensibus suis, ac sanitati restituta fuit.

Cùm esset Conventus S. Onuphrii Prior,  
 nocte quadam accersit Portarium, mandans  
 vt ad portam vigilaret primoq; venienti sta-  
 tim aperiret. Erat autem Religiosus Valen-  
 tiâ veniens cui maximum pauorem tres viri  
 incusserant, ac propterea ad Conventum  
 properabat. Venit ergo ille tremens, & ex  
 nimio metu vix mentis compos, inveniensq;  
 portam tam oportunè sibi apertam petiit à  
 fratre cur in horam adeò seram ad suum ad-  
 ventum vigilasset; Respondit ille, id sibi à  
 Patre



Patre Priore injunctum fuisse; vt ab illis viris quos à tergo habere sibi imaginabatur citius liberaretur.

Misit aliquando fratrem quendam foras, vt cum aliqua persona de negotio ad Conuentum pertinente communicaret. Iuit ille quidem, sed hanc rem in aliud tempus differendam ratus, dictam personam non conuenit; Vnde domum reversus Sancto Viro mentitus est, dicens se cum eà contulisse, sed non inuenisse qualiter illud negotium posset componi; Ad quod subridens Sanctus Pater more suo frontem eius cruce signauit, clam dicens illi. *Charissime Pater noli hoc dicere, scio enim quod eius rei mentionem non feceris, & ex malitiâ quidem, caue deinceps talis negotii causa mentiri.*

Novitius quidam tentatione victus in consulto Ludovico ad sæculum redire decreuerat. Cognouit hoc divinitus Vir Dei, atq; eadē nocte ipsum accedens quæsiuit. *Frater dormis? quo vis cras mane ire?* respondente illo. *Quo Pater Magister?* subjunxit, *ad sæculum fili, sicut etiam facient illi duo, qui tecum sunt vestiti.* Ille autem culpã suam agnoscens tentationem Magistro aperuit, ejusque



tionē corroboratus in ordine constanter  
perseueravit, aliis ad sæculum redeuntibus.

Accesserunt aliquandò eum duo amici,  
quorum vnus dedit ei pecuniam ut Missam  
pro aliquo celebraret, & sic abierunt. Ille  
verò qui missam legendam commendauerat,  
recordatus quod non dixisset Ludovico pro  
quo in particulari, & de quo missa esset le-  
genda, rediit ad Sanctum Virum, volens id  
ei indicare; quem videns Ludovicus dixit  
illi: *Domine non est necesse, vade in pace, scio  
missam debere esse de B. Virgine, & pro tuo  
socio.* Oraverat pro eo quidam optimus ami-  
cus, qui cum Ludovicum accessisset dixit  
illi Vir Sanctus: *ago tibi maximas gratias,  
fili mi, scio quid pro me feceris tēpore sacrificii.*

In Civitate Alcoy deuotissimus Sacerdos  
D. Jordanus gravi feбри laborabat, cuius de-  
ploratum statum cernens quidam ejus fami-  
liaris, dixit: *Domine nulla igitur reliqua est  
spes auxilii in hac infirmitate? nulla inquit:  
nisi P. Ludovicus Bertrandus Deum pro me  
rogaverit.* Mox cum literis Valentiam nun-  
tius mittitur, qui R. D. Jordanum Sancti  
Viri præcibus commendaret. Ingressus Mo-  
nasterium obvium habuit Ludovicum, qui  
E

divinâ



divinâ revelatione cuncta præsciens, dixit nuntio, *scio, fili, quid velis, revertere domum, nullum amplius superest remedium.* Urget ille vt literas aperiat, & legat. *Non est necesse* respondet Vir Sanctus, *scio quid in illis contineatur.* Rogat ut saltem literis inscribat quod tali hora advenerit. Fecit, & reversus nuntius Magistrum Jordanum ante tres horas obiisse comperit.

Erat in Conventu Valentino Pater quidam Franciscus Aleman nomine, quem propter ardentissimam in Deiparam devotionem Vir Sanctus plurimum diligebat. Hunc asperrima febris ad extrema deductum Dominus Collado Regni Valentia primarius Doctor, filium mortis proclamauerat; quod ubi rescit Vir Sanctus, abiit, legitq; pro eo missam quâ finitâ ad infirmum rediit, S. Petri Martyris reliquias deferens, inclinansque caput, submissâ voce dixit illi. *Non timeas Pater, non morieris hac vice.* Quibus dictis mox convalescere cœpit, & post paucos dies integræ sanitati fuit restitutus. Interea elapso aliquo tempore obvium habuit Sanctus Vir P. magistrum Aleman, quem á morte liberaverat, fixisque oculis in eum intendens,  
binâ



binâ vice largiter flere cœpit, quod cernens dictus magister P. Aleman, & quidpiam sinistra sibi imminere suspicatus, Virum Sanctum interrogavit, cur ipsum intuitus ita flere cœperit. Respondit ei, istas non in cœroris, sed gaudii esse lachrymas: *Eras enim, inquit, Pater charissime nedum medicorum, sed & Domini nostri Iesu Christi sententiâ mori adiudicatus; ut mihi revelatum fuit, verum cum me ipsum ad subeundam pro te mortem, Domino obtulissem, voluit ut tu virtute reliquiarum S. Petri Martyris sanitatem consequeris.* Supervixit autem Pater ille diu multis meritis & virtutibus clarissimus.

Ad tale lumen multas dæmonis vidit, & detexit insidias. Tentabat ille quendam hominem tam vehementer, ut penè mentis impositus fieret. Cognouit hoc vir Dei, & homini illi opportunum suggerens consilium, à tentatione omninò liberavit. Ambulabat quadam vice in civitate, videntique hominè transeuntem, dixit socio. *Frater, videsne hominem istum? diabolus eum semper insequitur.* Paucis elapsis diebus ille idè à sancta inquisitione tanquam hæreticus captus fuit, suæque pertinaciæ debitas pœnas dedit.



Confitebatur illi quædam fœmina, inter alia narrans quod sibi frequenter quidã juvenis venustus, splendidus, & multo amictus lumine appareret, quodq; cum illo per urbis plateas in fulgido curru deambularet. Admonuit eam vir Sanctus, ut sibi diligentissimè caveret, non juvenem, sed dæmonem illum esse affirmans. Non acquieuit illa sanis monitis, quin potius illum familiariorē sibi reddidit, ita ut frequentius ei appareret, ac diceret: *Scio Fratrem Ludovicum tibi valde esse contrarium, sed sine eum sui esse capitis, suoque sensu abundare, tantum crede his, quæ ego tibi dico, sum enim veritatis filius & ut de me nihil dubites, videsne illum juvenē in platea ambulantem? sanus est, & incolumis, sequere illum & videbis, quod statim cadet mortuus.* Secuta est illa juvenem, qui e mensis centum circiter passibus cadens in terram expiravit. Nesciens illa infœlix dæmonis artes, seque jam cœlo proximam, & sanctorum, Angelorumque sociam esse existimans, gaudio exultans sanctum Ludovicum accessit, narrans quanta cum eo Angelo familiaritate vteretur; sed corripuit eam acriter vir Sanctus, iterumque dæmonem esse





esse protestatus est; illa veró fidem non adhibuit, donec turpiter decepta, feliciter tamen ab inimici laqueo erepta, hostis infernalis fraudes agnovisset.

Anno ante mortem suam in vigilia S. Dionisii iussus est à P. priore assistere cuidam mauro capite plectendo, exiensque Conventu dixit socio: *Nescio quid cogitet noster P. Prior quod me, qui peccator sum, & ad eiusmodi opera ineptus, foras mittat; ego ipse ad mortem me preparare deberem, eo quod post ~~annum~~ moriturus sim.*

### C A P V T XIII.

*De præcipuis virtutibus S. Ludovici ac primo de eius oratione.*

**A**Ntequam sancti Ludovici pretiosam mortem calamo prosequamur, necesse est ut præcipuas ejus virtutes ob oculos ponamus, inter quas merito primum obtinet locum, velut omnium aliarum fons & origo gratia orationis; quâ adeò excellenter à Deo dotatus fuit, ut cum necdum sacerdos ordinatus esset, crebros tamen raptus & extases pateretur, ignorans cœline gaudiis, chorive Angelorum, an hominum consortio

E 3

inter-



interesset. Propterea nihil illi gratius, nihil  
 jucundius erat frequenti, ac jugi precandi  
 usu, & studio, nec sinebat curis exteriori-  
 bus orationis spiritum vllō modo  
 posthaberi, aut prætermitti, sed cum  
 necessaria quædam occupatio diurna, men-  
 tem ab oratione auocasset, somni dispen-  
 dio nocte eam compensabat: quod extremis  
 annis vitæ suæ omnino necessarium fuit fa-  
 cere, quando propter curas Priorales, No-  
 vitiorum instructiones, Prædicationes assi-  
 duas, infirmorum & magnatum visitationes  
 vix ei horula ad orandum concedebatur.  
 Testantur qui individua ejus societate usi  
 sunt, se nunquam, aut rarissimè Ludovicum  
 in lecto, sed flexis genibus in oratione vigi-  
 lantem reperisse. Ut autem inter orationis,  
 & vigiliarum prolixitatem interior, exte-  
 riorque homo subsisteret, varios in oratio-  
 ne modos obseruabat, nunc stans erectus,  
 modo in terram prostratus, nunc flexis ge-  
 nibus, modo super genua capite submisso,  
 nunc expansis brachiis, modo ambulando,  
 modo sedendo, prout à spiritu sancto ageba-  
 tur, ut plurimum tamen flexis genibus ora-  
 bat, quæ ad eò indurata post ejus mortem,  
 reperta



reperta sunt, ut magis in lapidem obduruisse viderentur, quam callum carni obduxisse.

Coram venerabili Sacramento positus semper flexis genibus orabat, donec debilitate corporis fractus surgere cogeretur, viresq; nonnullas stando recuperasset. Quodam festo Corporis Christi, egressis ad publicam supplicationem fratribus, solus in Conventu remansit, & ab octavâ matutinâ vsque ad sextam vespertinam in Ecclesiâ coram Venerabili orans flexis genibus perstitit, nec situm mutavit, nisi quod subinde stans diuinum officium recitauerit. Ad preces nocturnas excitatus, etsi adeo exhaustus esset viribus, ut vix suis pedibus subsisteret, & non nisi innixus in parietes ad Ecclesiam quodammodo reptaret, iis tamen persolutis adeo vegetus & robustus reddebatur, ut etiam post trium, quatuorue horarum arbitrarias preces, ad cellulam rediens, nullius debilitatis amplius recordaretur.

Missæ sacrificium tanto deuotionis ardore celebrabat, ut facies ejus aut lachrymis perfusa, aut lucis radiis corusca appareret. A celebratione nunquam abstinerebat, nisi grauissimâ infirmitate lecto affixus, alias e-



tiam admodum debilis, priusquam ordinatas à medico potiones sumeret, Missam legebat; quod Doctores medicos male habebat, sic enim fiebat, ut propter pravias ablutiones, præparatæ ab ipsis medicinæ, vix aliquem, aut nullum effectum sortirentur: quia tamen illum expressa obedientia à celebratione non prohibebat, malebat gratiæ sacramentalis quam sanitatis corporalis, fieri particeps, non alias vires sibi necessarias existimans, quam quæ ad offerendum Deo sacrificium sufficerent. Propterea ne tam diuino fructu privaretur, solebat gravioribus morbis impeditus patrem quendam clæ subornare, qui summo mane in infirmariâ celebraret, eique sacram communionem porrigeret. Quando foras egrediebatur, & juxta aliquam Ecclesiam transibat, nunquã præteribat nisi prius SS. Sacramentum salutasset; quod cum semel cuiusdam personæ intuitu omisisset, dolore tactus, illuc reversus est, socio suo dicens. *Quis est, frater mi, qui sitit, & iuxta fontem transiens, non inde hauriat, ut bibere possit?*

Non minori quoque deuotionis affectu solitus erat diuini officii pensum persolvere



in cuius inchoatione præmittebat illud. *Rex  
Christe elementissime, tu corda nostra posside,  
ut tibi laudes debitas persolvamus alacriter.*  
Præterea passionis Dominicæ mysteria per  
omnes horas Canonicas à matutinis vsque  
ad completorium inclusive distribuere, ita  
ut suum cuiq; horæ mysterium meditandum  
corresponderet; qua ratione in officio divi-  
no recuperabat, quicquid alias extra cho-  
rum meditatione fuisset consecutus. Admi-  
rantur hic plerique non sine causâ quod vir  
Sanctus, tot tantisq; occupatus negotiis, to-  
tâ vitâ suâ ordinem horarum nunquam per-  
verterit. Non commemorabo speciatim  
orationum ejus fructus, hi enim pene  
infiniti sunt, & supra insinuati: hic tamen  
non arbitror prætermittendum quod An-  
no 1519. ipso gloriosæ Resurrectionis Do-  
minicæ festo ei contigit.

Erat vir Sanctus in processione, quæ ex lau-  
dabili consuetudine à Patribus nostris va-  
lentia habetur ad plura Religiosorum Mo-  
nasteria; in eoque vidit ipse solus copiosam  
avium multitudinem vario & admirabili  
plumarum ornatu decoram, à Conventu  
Franciscanorum ad nostrum volitantium:

E s

In-



Indicavit hanc visionem aliis, sed alia quæ viderat multò majora tacuit; non obscure tamen colligendum reliquit, quidpiã majus ea avium visione, sibi contigisse, cum quadã vice ingēti cordis gaudio perfusus socio suo dixit. *O frater si scires quid nam hodie in hoc Convērs factum est! ò si vidisses!* ex quo colligi potuit istas oculis mortalium incognitas aves, mox subsequētæ visionis prænuntias extitisse. Innotuit tamen triduo ante festum S. Francisci ex quadam inadvertenter inchoata relatione, in qua veritatem fateri coactus est.

Inviserat ille Dominum Salzedum Consulem, cumque more suo multa de virtutibus, de spirituali profectu, & inter alia de S. Francisco loquerentur, eã conversatione vir Sanctus plurimū recreatus, dixit, se Religiosos S. Francisci multum diligere, eo quod, nuper in festo S. Michaelis Religiosus quidam ordinis nostri, choro egressus ante *Te Deum laudamus* obvios habuisset in claustris gloriosos Patriarchas Dominicum, & Franciscum, & hujus quidem dextri pedis plagam, alterius verò manum osculatus fuisset. Advertens autem Consul quod singulari



lari quadam animi suavitate hæc referret  
 dubitare cœpit, num forte ille ipse esset,  
 dixitque. *Cur igitur charissime Pater ita  
 semper gemis, & suspiras tanto dignus habitus  
 favore? sane tristior, inquit, essem, si hæc mihi  
 gratia obligisset.* Plura tunc non dixit; sed  
 domum rediens se ipsum illum esse socio  
 significavit, cum tristitiæ suæ causam red-  
 dens dixit. *Nescis frater mi, quod quanto  
 plures homo à Deo recipit favores, tanto magis  
 eius amore languescit, & ad perfectam ipsius  
 visionem gemit & suspirat?* Verum alia vice  
 hujus rei veritas Domino Salzedo clariùs in-  
 notuit.

Visitaverat eum vir Sanctus, & conspe-  
 ctâ in conclavi imagine S. Francisci ad vi-  
 vum depictâ, propius accessit, eamque so-  
 lus attentissimè contemplantur, socio ejus  
 interea cum Domino Salzedo familiariter  
 colloquente. Consul autem tacitus eum  
 considerans, & advertens quod aspectu hu-  
 jus suavissimæ imaginis mirifice delectare-  
 tur, videbatur audire virum Sanctum ita sibi  
 loquentem: *verè insignis pictura est, est ipsi  
 plane similis.* His contentus Dominus Sal-  
 zedus postridie Archiepiscopum adit, nun-



tiavitque, quæ de viro Sancto viderat, & audierat, qui cum ipse multa alia ex Ludovici ore sciret, dictis facile fidem adhibuit. Non latuit tamen ipsum hæc insignis gratia, sed ob authoritatem qua apud S. Ludovicum plurimum valebat, ejusdem sancti viri relatione postea cognovit. Præterea infinita ejusmodi Divinæ benedictionis beneficia, quæ quia nobis ejus abscondit humilitas, revelabit quandoque in cælis beatissima æternitas.

### C A P V T XIII.

*De ardentissima eius in Deum & proximum caritate.*

**N**on immeritò frigidus, tepidusque ad orationem vir Sanctus remittere consueverat, de seipso enim dicebat, quod orationem quidem frigidus inchoaret, finiret vero ardens, & inflammatus, eo quod fervens ac devota oratio divini amoris ignem accendat, & suo calore mentem inflammet. Inter præcipuos autem effectus quos Dei amor in illo fuit operatus, primo se offert divinæ gloriæ Zelus, qui in ejus pectore  
estua-



æstuabat. Cùm ad ejus aures quorundam nimis effusa peccandi licentia perveniebat, etsi quidem humanæ fragilitati vehementer compateretur, non minus tamen ad scele- rum vindictam, & restorationem Divini honoris accendebatur, ideoque Apostolica libertate flagitiosos hominum mores, & publica scandala intrepidè redarguebat, etiam si sciret certissimè inde sibi mortem imminere; unde cum aliquando lubricam, & scandalosam quorundam Nobilium vitam palam redarguisset, iique concepto implacabili odio eum interimere decrevissent, admonitus ab amicis ut sibi consuleret, & desisteret à corripiendo, nullatenus acquievit, dicens se mortem non timere, paratumque esse ad mille supplicia pro Dei honore sustinenda, non esse æquum tam abominabilem vitæ consuetudinem inter populos Christianos tolerari, proinde tam diu eos palam redarguere velle, donec tandem ad meliorem frugem conversos animadverteret.

Fertur etiam quod enormia Regni Valentia peccata considerans, subinde vel ut alter Elias manum in cælum levabat, inge-

**E 7**

**minans**



minans illa Apostoli verba 1. Corinth. 7. *puto  
 quod & ego spiritum Dei habeam* : Inde nas-  
 cebatur in eius corde ingens pro Christo  
 moriendi desiderium, ideoque solitus erat in  
 Missa sacram hostiam elevans, illa Sancti  
 Petri Martyris verba proferre: *Moriar pro  
 te, Domine, qui misericorditer dignatus es pro  
 me mori in Cruce.* Frequenter etiam, re-  
 petebat illa Sancti Vincentii Martyris vota:  
*Hoc est quod semper optavi, hoc est quod votis  
 omnibus exquisivi*; præcipue tamen hoc fa-  
 ciebat, cum alicujus martyris passionem in  
 quadam pictura contemplabatur; flebat  
 enim tunc largiter, & verba prædicta ge-  
 mēns, & suspirans proferēbat. Aliquando  
 etiam erumpebat in hæc: *O si digni essemus  
 includi carceribus, ad metalla, & irremes ve-  
 lut infames damnari, per plateas publicas  
 trahi tanquam purgamenta huius mundi, o-  
 mnium peripsema, & opprobria facti, tunc sa-  
 ne aliter experiremur, quam bonum & quàm  
 iucundum sit pro nomine IESU contumeliam  
 pati.* O fratres, agebat suis Novitiis, tunc in-  
 telligeremus, quid sit illud, quod de Apostolis  
 narrat Sanctus Lucas, quod flagellati ibant  
 gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni  
 habent



habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati;  
 sed etiam quid de nobis fiet, qui ea gratia digni  
 non sumus habiti? Verum hæc Sancti viri  
 desideria exigua sunt comparatione eorum,  
 quæ cuidam intimo significavit. Verita-  
 tem dico, inquit, & candidè confiteor, me  
 quidem Martyrii corona indignum esse, si ta-  
 men ille me honore Deus afficeret, nedum gau-  
 dens & exultans omnia tormentorum genera  
 sustinerem, sed etiam ipsos carnifices, & ty-  
 rannos provocarem, ut toto malignitatis spi-  
 ritu in me se virent, ita ut nullus esset amplius  
 in meo corpore vulneri locus. Ita sanè, ita  
 prorsus facerem, de hoc non dubites.

Porro quanta erga afflictos commiseratione  
 duceretur, clamant abundè omnia illa,  
 quæ fecit, miracula. Non erubescibat ad  
 sublevandas aliorum necessitates ostiatim  
 panem mendicare, suoque exemplo ad eju-  
 modi charitatis officia fratres hortabatur.  
 Egredius foras obvios quosque pauperes ad  
 Conventum reducebat, nec prius quàm fru-  
 stulo panis, aut alia eleemosynâ donatos ab-  
 ire permittebat. Mirabatur hanc benefi-  
 centiam frater quidam Joannes Perez, ideo-  
 queque Sanctum virum interrogans, cur sui

Con-



Conventus tam exiguam curam haberet, audivit hujus rei causam esse, quod in se confidentes Deus nunquam derelinquat.

Dum universum penè Regnum Valentia, peste ac fame laboraret, perambulabat vir Sanctus montes, viasque publicas, & si quæ invenisset mortuorum corpora, consuetis Ecclesiae orationibus ea prosequens sepeliebat. Non minùs sedulus erat in visitandis, consolandisque captivis, quos si suorum flagitiorum pœnitentia duci conspexisset, libertatem eis procurabat, aut saltem supplicii dilationem, ut temporis successu omninò absolverentur. Verum licet proximi calamitate vehementer cruciarentur, ejus tamen fœlicitate etiam plurimùm lætabatur. Habebat à confessione devotissimam matronã, quæ cum ad visitanda loca sacra, Valentia discessisset, in manus Turcarum incidit, & pro fide martyr occubuit. Intellexit hoc vir Sanctus in extrema constitutus infirmitate, & gaudio magno exultans sic fœminam alloquebatur: *Gaude felix ac beata fœmina. Verè terque quaterque beata es, quæ adeò gloriosè tua vita cursum consummasti; benedicta es à Domino.*  
*que*



quæ talem coronam accipere meruisti: me miserum qui ea dignus esse non potui. Similiter quoque gaudii materiam dedit illi martyrium Domini Michaelis de Arandiga Valentini præbyteri, qui à Mauris comprehensus Anno 1577. 18. May coronam martyrii adeptus est.

## CAPVT XV.

*De spiritu mortificationis, Pœnitentiæ, & humilitatis Sancti Ludovici Bertrandi.*

QUANquam vir Sanctus penè continua infirmitate laboraret, non intermittebat tamen consueta mortificationis, & pœnitentiæ exercitia, quæ tantò feruentius resumebat, quanto se morti viciniorem esse considerabat, Prætereo cruentas illas pro salute patris flagellationes. Nolo proferre exquisita illa, & singulari studio à se confecta pœnitentiæ instrumenta, quibus assidue carnem spiritui servire cogebat. Testes mortificationum illius sunt cellulæ, & Oratorii parietes, innoxio ejus sanguine purpurati. Noverunt & intimi ejus filii, qui sanctissimi patris scapulas multo cruore mada-



madentes sæpè abstergebant. Cilicio, aut ferreis catenis ad carnem nudam semper utebatur, nisi infirmitatis causa aliter facere compelleretur. Lectum illi ut plurimum dura humus, raro culcitra præbebat, nisi subinde ob acerbicatem frigoris somnum capere non posset. Ubi verò necessitas lecto uti coegisset, non nisi vestitus, aut alio mortificationis genere cruciatus dormiebat, ne tantillo tempore sine dolore quiesceret.

Cum infirmaretur quadam vice Sanctus vir, venit ad eum frater ille, qui curam ejus gerebat, arreptamque ejus manum, illo multum renitente, deosculatus, advertit, nescio quid asperioris materiae sub tunicella gestare, obstupuitque ac dixit. *Quid est hoc Pater Ludovice? audes aded infirmus sic te affligere? mox Priorem adibo, & de tua indiscretionem conquerar.* Cui modestè Vir Sanctus: *Parce, fili dulcissime, quomodo vis ut aliter faciam? iam præ foribus mors me exspectat, diesque extrema paulatim appropinquat, multisque indigemus ut ad cælum venire valeamus, obsecro te, qui meum patiendi desiderium nostri, ut nemini hac de re quisquam dicas.* Adhæc ne careret cibis ejus sua amaritudine,



ritudine, miscēbat plerumque cum poterat,  
illi absynthium, aut amaram ore herbam  
masticabat. Factum est autem ut Divini  
amoris igne calor ejus naturalis vehemen-  
ter accenderetur, undē incredibilis fames &  
comedendi appetitus in ejus stomacho ex-  
arsit, verūm quia diligens, & accurata erat  
circa eum cura medicorum, quibus & tantæ  
famis causa ignota erat, nihil præter juscula  
& sorbitiunculas ei præscribebant, quæ fa-  
mem non expellebant, adeo ut quamvis ap-  
petitui suo vix quicquam concedere soleret,  
cogeretur tamen Patrem Magistrum Vin-  
centium Justinianum enixè rogare, ut medi-  
corum jussu nonnulla crassioris panis fru-  
stula interfererentur. Verūm quia tota e-  
jus vita continuum penè martyrium fuit,  
plura de mortificationis & pœnitentiæ spi-  
ritu non dicam; de dono timoris, & spiritu  
humilitatis aliqua relatione digna in me-  
dium proferā Ab ingressu ejus in Religionē  
fortitus fuit cor humile, & animam timen-  
tem Deum, statuerat enim Dominus sua-  
rum gratiarum largitate eum abundanter  
cumulare, ideoque ne gratuitis Divinæ  
misericordiæ favoribus erigeretur, infudit  
menti



menti ejus timoris & humilitatis spiritum, quo salutis suæ incertitudinem continuò apprehenderet, & in assidua suæ vilitatis & infirmitatis consideratione perseveraret. Hinc incessanter objiciebatur ejus animo illa humanæ vitæ periodus, *eternitas beata, eternitas beata, eternitas miseranda.* O Deus quid me fiet! quo venies anima mea, dilecta mea? quid si beatitudinem amittas! quid si pereas! ô beata eternitas! ô miserabilis eternitas! His & hujusmodi considerationibus omnia ejus ossa ingenti timore perterita concutiebantur, & manabant ex oculis lachrymarum rivuli, è corde gemitus & suspiria, dum se fluctuantem cerneret in æternitatis undis, nesciens quis eum habiturus esset vitæ epilodus. Hujus saluberrimi timoris exemplum fratri cuidam sibi familiariter colloquenti reliquit. Optabat ille Sancti viri visiones, favoresque cœlestes cognoscere, quorum ut fieret conscius non cessabat continuis eum precibus fatigare. Ast non acquiescens Ludovicus abigebat eum, dicens se peccatorem esse, & plurimis obnoxium peccatis quæ necesse haberet pœnitentiæ sacramento indies expiare. Instabat ille



ille opportunè importunè, dicens se secretò  
 ea servaturum, ac calamo excepturum, ut co-  
 vitâ functo ad multorum vtilitatē proficerēt  
*Eheu*, respondit ille, *habent Moysen & Pro-*  
*phetas, audiant illos, habent Evangelia, do-*  
*ctrinam & exempla Domini Salvatoris nostri,*  
*habent sanctorum vitas, & infinitos spirituales*  
*libros; hac eis sufficiant, non habent necesse de*  
*me quidquam scire.* Hæc dicens, ac suspirans  
 subjunxit, *Ah! Lucifer ille miserabilis plures*  
*& multo maiores quā ego consecutus est à Deo*  
*favores, & tamen æternū calo proscriptus est.*  
*Traditor Iudas Apostolatus dignitatem sorti-*  
*tus est, & miraculorum habuit gratiam, & ta-*  
*men infelix laqueo se suspendit.*

Non acquieuit autem Pater ille, spondēs  
 se omnia in secretis habiturum, nec se cupe-  
 re aliā de causā harum conscium fieri, quā  
 ad maiorem animæ suæ profectum, utpote  
 qui jam vitæ sanctioris propositum conce-  
 pisset. *Si ita est*, respondit Sanctus Vir, *Pater*  
*charissime, non necesse habes aliud quidquam*  
*scire, & facere; vade, & prosterne te ante*  
*Crucifixi imaginem, crede mihi, quia maiori*  
*inde surges accensus devotione. Quod verò*  
*gratias, & favores illos, quos scire desideras,*  
*attinet; scias velim non multum me iis fidere*



*cum certum me non reddant, si me Dei amore  
an odio dignus, ignoremque, etiam an à Deo pro-  
veniant, meaque anima saluti proficiant. Id au-  
tem mihi indubitatum est omnino, quod si mi-  
sericordiam Deus mihi negaverit, de salute  
mea actum est: Ora ergo Deum, Pater mi, ut  
& ego in vera humilitate semper permaneam,  
& Ecclesie Sacramentis rite munitus moriar.*  
Hac ratione se ab importunis Patris illius  
precibus expedivit.

Hinc videre licet quàm altas in ejus ani-  
mo radices egerat illa spiritus sancti senten-  
tia; *Nescit homo utrum amore, an odio dignus  
sit.* Eam ob rem dicebat, oportere nos om-  
nes pronos incedere, & vermiculorum in-  
star reptare super terram, tanquam non au-  
sos ad cœlum oculos levare, quibus non est  
os, & lingua, nisi ut in conspectu Dei, &  
sanctorum Angelorum misérias nostras de-  
fleamus, & veniam, ac misericordiam incla-  
memus, quia licet hodie justus & sanctus simus  
uno momento possumus esse mali, ut nocte  
passionis Domini, Principi contigit Apo-  
stolorum. Fatebatur quoque nunquam se  
posse ea Apostoli verba, *semper discentes &  
nunquam ad scientiam veritatis pervenientes,*  
sine timore considerare. Cum



Cum igitur amittendæ beatitudinis metu,  
in assiduâ salutis suæ curâ versaretur; ac sub-  
inde tristis ac melancholicus esset, rogabât  
fratres, ut medicinas sumeret, quæ atrambi-  
lem depellerent, & purificandi sanguinis,  
fugandæque tristitiæ vim haberent: *Eheu,*  
*inquirebat, cras morimur, quid prodest tantil-  
lum delectari, cum oporteat nos Iudici altissi-  
morum rationem reddere, quando & quod peris est  
& horam nescimus, & diem, adducebatq;  
illud Matth. 24. vigilate & orate, quia nesci-  
tis diem, neque horam. Sedebat quâdam vi-  
ce cum tribus quatuorve Religiosis in con-  
clavi, apertaque fenestrâ respiciens, stetit a-  
liquanto tempore pensitabundus, conver-  
susq; ad unum ex astantibus dixit, nescio quid  
hoc sibi velit; vidi enim per hanc fenestram,  
totum processum belli Regni Portugallia. Re-  
plicavit alter, Unde scis, Pater Reverende,  
num Dei revelatione, an forte illusionem diabo-  
li hæc cognoveris? solet enim huiusmodi visio-  
nibus se demon immiscere, idcirco hoc nego-  
rium devotè Deo commendandum est. Cui Lu-  
dovicus ne leviter quidem motus, sed in cæ-  
lum oculos levans, & ingemiscens, ita versus  
est, inquit, diligenter Deo res ea commendan-  
da est.*



*da est, multis enim fraudibus, & deceptionibus plena sunt visiones huiusmodi.*

Quare parum, aut nihil huiusmodi revelationibus tribuebat, multo minus propter illas extollebatur. Interrogatus aliquando an non subinde visiones, & extases habuisset omnino, respondit, & quidem maximè dum dormio, aut cum gravi cholera abripior.

Enicebat autem præcipuè ejus humilitas erga subiectos sibi fratres, quibus secum locuturis assurgebat; manum ad osculandum non nisi invitus porrigebat, dicens hunc honorem aliis deberi Sacerdotibus, & magnam inter se, aliosque Sacerdotes, ob varias, quibus sibi videbatur obnoxius, imperfectiones & miseras, intercedere differentiã. Paternitatis titulum, qui alioquin honoratioribus Patribus deferri solet, non admisit. Solebat quoque fratres conversos humiliter rogare, ut pedem, quem malè affectum habebat, suã benedictione signarent, sperãs eorum meritis sanitatem recuperare. Existens Superior, si quempiam fortè non eã quã par est mititate & humanitate allocutus fuisset, aut duriusculè corripuisset, eum accedebat, & ad pedes ejus prostratus suæ imperfe-

perfe-



perfectiōnis veniam postulabat; quod sanè  
 majore admiratione dignum est in Sancto  
 viro, dum in eo casu dispenset Regula, *ne*  
*scilicet dum nimium servatur humilitas, re-*  
*gendi frangatur auctoritas.*

Etsi autem in eo timore, & spiritu humi-  
 litatis semper ambularet, valdè tamen pusil-  
 lanimitatem vitabat, ideoque de seipso pe-  
 nitens diffidens, ac de misericordiâ Dei benè  
 sperans, non cessabat de die in diem reno-  
 vare proposita, dicens: *Bonum dominum ha-*  
*bemus.* Tandem pro coronide hujus capituli  
 hanc reliquit nobis Sanctus Pater humilita-  
 tis Doctor & Magister, de humilitate lecti-  
 onem. Si quis in eâ virtute, quam dominus  
 noster Jesus Christus tam obnixè nobis cõ-  
 mendavit, excellere voluerit, hæc quatuor  
 necesse est observet, & accuratè custodiat.

*Spernere se ----- Spernere nullum.*

*Spernere mundum ---- Spernere sperni.*

### CAPVT XVI.

*De gravibus infirmitatibus S. Ludovici, & de*  
*his, quæ gessit ultimo anno vita sua 1581.*

Quam variis famulum suum infirmitatibus  
 Deus probaverit, series historiarum nobis

F

sub-



subindè declaravit. Tot namq; & tantis attritus fuit morbis, ut ab ingressu Religionis vix una die integra valetudine usus fuerit. Rheumata & defluxiones, quibus semper subjectus fuit, penè visum, auditumque ei ademerunt, quin & frequenti vertigini obnoxium fecerunt, præcipuè verò medicinæ, quas Doctorum consilio pro reparatione auditus sumere cogebatur, multas & graves pepererunt ei infirmitates; stomacho siquidem per variarum potionum usum debilitato, & corporis viribus extremè diminutis id pauxillum sanitatis, quâ antea perfruebatur, vix recuperare valebat. Triennio mortem antecedente, quodam profluvio, quod nulla arte sisti poterat, continuò laboravit; ex quo tantoperè corpusculi ejus vigor defecit, ut mortui magis, quam hominis speciem præferret. Erat tamen in languente corpore tantum mentis, animique robur, ut spiritu potiùs quàm corpore vivens, non sineret se lecto affigi, nisi extrema dejectus morbi necessitate aliud facere non posset.

Ab eo tempore, quo apud Indos propinatum venenum in ejus stomacho serpentè [quem postea evomuit] genuerat, tantam

con-



contraxit infectionem, ut scaturientes inde vermes, & ad guttur usque ascendentes, non sine intolerabili molestia ex ore ejus prorumperent. Eares movit Cognatos, Superiores & optimos quosque ejus amicos, ut adhibitis expertissimorum medicorum consiliis, tam insolito malo remedium adhiberetur: sed inde non tam levamen, quàm majorem stomachi corruptionem, & plurium vermium generandorum fomitem contraxit.

Quæ mala etsi patientissimè sustineret, non rarò tamen in lachrymas solvebatur, coram Patribus, amicis, & medicis in hæc Resignationis verba prorumpens: *Charissimi mei sinamus optimum Dominum agere, per omnia voluntas eius fiat, sit nomen eius benedictum in secula.* Porro hoc in eo valde notatu dignum erat, quod in tot, & tantis, tamque continuis miseriis & afflictionibus, nunquàm visus sit ad aliquam moveri impatientiam, quin sæpe ea S. Augustini verba repetebat, *Domine hic ure, hic seca, hic non parce, ut in eternum parceas;* quod illius votum exaudiebatur à Deo per singulos dies ejus morbos adaugente, & patientiæ materiam subministrante.

Itaque postquàm ad instantiam quarun-

F 4

dam



dam illustrium personarum in Ecclesiâ Cathedrali pro concione dixisset cepit graviter in quadragesimâ iterato labore, ita ut plerisque de vitâ ejus actum videretur, ob quod voluit sacrum viaticum sibi exhiberi. Adfuit inter cæteros magnæ auctoritatis viros, qui sanctum Patrem tenerrimè diligebant, illustrissimus Patriarcha Antiochenus, & Archiepiscopus Valentinus D. Joannes de Ribera, cum Reverendissimo Domino Episcopo de Maroco, coram quibus ante sacri viatici sumptionem, invocatis omnibus nominatim, & longâ serie sanctis, quos in cælo chariores habebat, prolixam, ac perfectam fidei professionem emisit, ubi verò in ea sanctorum invocatione sancti Vincentii Ferrerii nomen expresserat, hæsit aliquantulum, & elevata voce clamavit *ô sancte Pater Vincenti, Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius*. Nemo erat adstantium, cui tam prolixa protestatio tædium afferret; quin potius tam insigni amoris, & humilitatis exemplo permoti, plerique in lachrymas solvebantur. Demum sacram communionem devotè accepit, qua peracta, peramanter amplexatus fuit illum Patriarcha, tulitque ex ejus collo,



eo non advertente, quasdam reliquias, quas propter frequentes infirmitates secū gestare consueverat; hisque ita peractis multūm ædificati discesserunt.

Interèa decumbentem virum sanctum in-  
visit D. Joannes Buyl de Arenas, & precibus  
ejus extremum filia suæ periculum cominē-  
davit, cui post familiare colloquium dixit  
vir Sanctus. *Vade, fili, in pace, bonoque esto  
animo, dic filia tua, ne confiteatur, & commu-  
nicet, Deoque gratias agat, non enim hac vice  
moriatur.* Fecit quod jussus erat, & filia sani-  
tati integræ restituta est.

Post hæc cœpit ipse quoque paululūm cō-  
valescere, & in sacello Sancti Vincentii,  
quando vires permittebant, Missam celebra-  
re, ubi licet in gratiis post Missam agendis  
subinde animi deliquium pateretur, altero  
tamen die à celebratione non abstinebat, de-  
votione erga divinissimum Sacramentum mi-  
rificè affectus. Unde rogante fratre quodam,  
ut in suo lectulo quiesceret, & Missæ cele-  
brandæ curam deponeret, respondit illi:  
*Putasne frater, Sacramentorum usu sanitatē  
impediri? Immo pro certo habe non solum ani-  
ma, sed & corporis sanitatem non raro solere*



*conferri, quando id saluti nostræ fuerit proficuum*

Eo tempore adduxit ad virum Sanctum quædam fœmina tres filios scrofulis malè affectos, rogans ut benedictionem illis impertiret; fecit, & per exiguo tempore elapso, omnes sanitatem recuperarunt.

Porrò circa mensis Maij medium denuò laborare cæpit, ita ut solis forbitiunculis, aliisq; conservativis naturam sustentare oporteret. Peccata sua quotidianâ confessione expiabat, & non rarò sacrâ etiam cõmunionem mentem suam reficiebat. Quia verò amicorum (quorum ingens erat in civitate numerus) frequentior accessus, non modicam subinde molestiam ei pariebat, certam præfixit horam, quâ inviseretur, ut sic liberiùs orationi mentali vacare posset. In quo fanè insigne omnibus documentum reliquit, dicens, non esse permittendum ut una dies meditationis fructu vacua elaberetur, cùm hæc sit, quæ in anima nostra, omnes alat, & cõservet virtutes.

Durante autem eâ infirmitate, ob stomachi calorem gravi fame, siti que cruciabatur, quæ jusculis & potionibus medicorũ minimè extingui poterat; unde sensim ejus corporis.

poris.



poris vires, aliàs modicæ plurimum immi-  
nutæ sunt; quod animadvertens, cibum ap-  
petiit necessarium, quem & medici permi-  
serunt, statimque conval-scere cœpit. Eo  
nuntio exhilaratus Illust.issimus Dux de  
Nájara, qui Sancto viro confessorio uteba-  
tur, jussit ei præparari, ac ministrari quic-  
quid recuperandæ, & conservandæ ejus va-  
letudini necessarium esse putabatur. Verum  
ille temperantiæ, & mortificationi assuetus,  
modico sibi retento, reliquum infirmis fra-  
tribus distribui curabat.

Non est quoque prætereunda insignis, qua  
erga omnes ad se venientes utebatur, huma-  
nitatis & humilitatis gratia. Qui manus suas  
aliis osculari volentibus negabat, cujus pre-  
ces universa Civitas exposcebat, qui lectis  
super infirmos Evangeliiis, sanitatem pro-  
curabat, is venientium ad se manus oscula-  
das humillimè postulabat, & ut super ipsum  
orationes, & Evangelia, more in Hispaniis  
recepto, pronuntiarent, infimis precibus  
obnixè rogabat. Unde cùm fratres quidam  
ejus synceritatem, animique candorem cer-  
nentes, non acquiescerent, dicerentq; non  
procul habitare virum quemdam probum,



ac devotum, qui lectis super infirmos Evangeliiis, plerosque sanos efficeret, voluit ipsum ad se accersiri, omnesque precandi, & benedicendi formulas ab eo circa se adhiberi; quod & factum est, magna omnium admiratione, sed majori animi ejus affectu, & consolatione.

Tandem restitutus fuit Ludovicus aliquantulum sanitati, & de superioris licentia, Fratri suo Domino Hieronymo Bertrando traditus ut curaretur in loco amænissimo, & recuperandæ veletudini accommodatiori cuius ipse director erat. Ibi subinde sacrum celebrabat, confitebatur, & communicabat frequentissimè, & ab Illustrissimo Archiepiscopo visitabatur, paterneque fovebatur. Ibi mulierem quandam incurabili morbo annis quatuor laborantem sanavit. Ibi experientiâ didicere medici corpus ejus, supernaturali quadam virtute odorem balsami exhalare.

Elapsis paucis diebus visum fuit medicis ante caniculares eum Valentiam amovere: quod ubi cognovit Illustrissimus Patriarcha Bodellam voluit duci; locus est amænissimus vno milliari Valentiam distans, in quo recreationis

tionis



tionis gratiâ morari Archiepiscopus ille cõ-  
suevit. Mansit ibidem duobus fere mensibus.  
Quanta vero ibi resplenduerit Patriarchæ in  
Sanctum virum charitatis, & benevolentix  
affectio, non est facile dictu. Certabant mu-  
tuò, alterque alterum virtute superare con-  
tendebat, charitate Patriarcha, humilitate  
Ludovicus. Singulis diebus Missam ei Arch-  
iantistes celebrabat, ac de manu ejus non ra-  
rò sacram communionem æger Ludovicus  
sumebat. Tanto in pretio habebat Patriar-  
cha Sancti viri familiarem consuetudinem,  
ut relictis aliorum Magnatum alloquiis ipso  
Ludovico semper adhæreret, divinis ejus re-  
creatus sermonibus.

Compulsus autem fuit Archiepiscopus ad  
celebranda officia divina in festo Assumpti-  
onis B. Virginis Valentiam redire: Sanctus  
verò Ludovicus ad vicinam PP. Augustinia-  
norum Ecclesiam delatus fuit, ubi sacrum  
illum diem maximâ devotione transegit. In-  
terea medicorum ope, & illustrissimi Præ-  
fulis curâ paulatim convalescere cœpit, ita  
ut illi longiorem vitam promitterent, & de  
vaticinio, quo mortē suam prædixerat, me-  
ritò dubitare inciperent. Verùm elapso mēse

F 5

Augusto



Augusto mox in morbos relapsus Valentiam ad locum à fratre suo ipsi deputatum, redactus fuit, inde morbo ingravescente ad Conventum deportatus, postquam à scrofulis puellam quamdã Isabellam Aberca liberarat.

## CAPUT XVII.

*De felicissima morte S. Ludovici 1581.*

*19. Octob.*

**C**rescente igitur infirmitate augetur in eius corde ardentissimum mortis desiderium, & inhiabat ore cordis in superna fluentia fontis vitæ, cupiens ejus aspectu satiari, quem puro corde diligebat, ideoque frequenter ingeminabat illud Apostoli: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Auxit autem Dominus, ad famuli sui majorem coronam, in tantum ejus dolores, & languores, ut (quemadmodum cuidam familiari fratri testatus est) tormento subjectus videretur, & omnia ejus corporis membra velut dilaniarentur. Dicebat enim omnia ossa sibi videri confringi, secari tibias, convelli pectus, & omnes luxari corporis compages. In his nihilominus cruciatibus positus fatebatur ingenuè, tantis cor suum inundari consolationum

tionum



tionum gratiis, ut corporalibus doloribus spirituales superabundarent consolationes. Attamen graves ex ejus corde gemitus, & suspiria eliciebat nonnunquam vis morbi, quæ Patriarcham, aliosque adstantes valdè ad compassionem movebant. Ille verò patiendi desiderio accensus non cessabat incessanter clamare ad Dominum: *Domine hie ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas.* Sed & illud frequenter repetebat. *Domine auge dolorem, dummodo augeas & patientiam.*

His visis poterat sibi quisque prudenter persuadere non procul abesse extremum S. viri diem; ideoque fiebant ad eum frequentes amicorum, cognatorum, aliarumque insignium personarum accessus, quos etsi satis ægrè ferret, propter devotionem tamè eorum modestè ac patienter sustinebat.

Inviserat illum D. Petrus Ludovicus Galceran de Borgia, magnus Magister de Montesa, cumque abiturus flexis genibus, profusisque lachrymis viri Sancti benedictio rem postulasset ille tanti viri humilitate obstupefactus, delatumque sibi honorem ferre non valens, tanto quanto potuit clamore vociferari



rari cœpit: *Bone Iesu, quid agis Domine? ego miser, & pauper sum peccator*; & ita ambo in lachrymas soluti, insigne humilitatis exemplum reliquerunt.

Occasione tam frequentis visitationis duo præclara eo tempore exempla contigere.

Erat Valentiaë fœmina quædam devotissima, tertium ordinem S. Francisci professa, soror Angelica Agulon, quæ propter singulares, quibus à Deo illustrabatur favores, & revelationes, doctissimos quosque in sui admirationem rapiebat, & fatigabat plurimum Theologos, qui ad probandum ejus spiritum erant deputati. Non prætermisit Patriarcha necessariam illi negotio diligentiam, cunctisque prudenter, & mature sapientum judicio examinatis, inventa est soror Angelica verò Dei spiritu duci, atque ab omni spiritus maligni illusione perquam aliena. Voluit autem Patriarcha etiam super hac re Sancti Ludovici judicium experiri, qui fidenter, aperteq; dixit, sororem Angelicam veræ sanctitatis vias tenere, & divini amoris spiritu planè gubernari. Hæc itaque ingenti desiderio capta videndi Sanctum Ludovicum in extremis constitutum, multis precibus



precibus ad Deum fuis, sui tandem voti compos effecta est, nam miraculosè, & invisibiliter ad cellam Sancti viri delata fuit, eoque viso mox ab Angelo in domum suam reportata est.

Ludovicus autem eâ visione plurimum obstupefactus, quod ad cellam suam fæminæ admitterentur, dixit infirmorum curatori: *Bone Iesu, Pater, intrantne huc fæmina? & à quo tempore?* Ille ignorans quid actum esset magis obstupuit; putabat enim eum aut à nonnullis cælo delapsis virginibus visitatum fuisse, aut dolorum vehementiâ non sanæ mentis esse; at ubi comperit plenum in eo vigere iudicium, neq; ullis illudi phantasiis, rem ad Patriarcham detulit, qui more suo veniens, petiit quânam valeret. Ille verò ratus, fortè à Patriarcha concessam fuisse mulieribus introeundi Monasterium licentiam, respondit: *Vnde venit Domine, quod huc introent fæmina? quid!* ait Patriarcha, *intrantne huc fæmina? quis eis dedit licentiam?* ita sane, respondit vir Sanctus, *ita omnino, hoc mane me quedam accessit mulier, & de osculata meos pedes rursus discessit.* Quærente Patriarchâ, num aliquid ipsi locuta fuisset, non, inquit,



inquit, *nec illa mihi, nec ego illi.* Quibus auditis valdè obstupuit Patriarcha, sed alterâ die factum innotuit, quando soror Angelica Patriarchæ totam rei seriem enarravit.

Aliud est non minori admiratione dignû. Peragrabat devotionis causâ florentissimas Europæ Regiones D. Petrus Cernerich Princeps & Dux de Sabiaco, ac Dominus Bulgariae, veniensq; Valentiam in morbum incidit in oppido de Torrente non procul ab vrbe, ubi Parochum agebat Magister Nadal. Hic auditâ famâ sanctitatis Ludovici Bertrâdi avidissimè videre eum cupiebat, ob idque assiduis precibus Deum precabatur ut ante mortem suam voti sui compos fieri mereretur. Non fuerunt cassæ preces ejus, misit namque ad illum Dominus S. Dominicum, & S. Vincentium Ferrerinm, qui levantes eum è lectulo, per aera Valentiam ad cubiculum Sancti Ludovici transportarunt, eo-que viso, plurimum confortatus mortis suæ diem ab illo didicit, & rursus ab iisdem cælitibus in oppidum de Torrente delatus est, ubi cùm apparitione Deiparæ Virginis mirificè recreatus fuisset, animam suam in manus Creatoris placidissimè reddidit die octa-



va Octobris, uti vir Sanctus prædixerat.

Multis præterea Sanctorum, præcipuè S. Vincentii Ferrerii apparitionibus, durante eâ infirmitate, honoratus fuit; vnde interrogante eum quadam vice Patriarchâ, non subinde ab intimo suo amico S. Vincentio visitaretur; *quin immò* respondit, *& ecce etiamnum adest, digito monstrans locum, ubi eum videbat.*

Itaque appropinquante paulatim horâ transitus sui vir Sanctus sentiens se viribus deficere biduo ante mortem petiit sibi dari extremæ Unctionis Sacramentum, quo suscepto permansit admodum quietus usque ad sequentis diei horam sextam vespertinam, quâ repente ita alteratus fuit, ut jam jam moriturus crederetur. Advocantur omnes ad infirmariam, accurrunt perfusi lachrymis, adsunt quoque Reverendissimi Præsules Patriarcha, & D. Michael de Spinosa Episcopus de Maroco, qui à Conventu non discedebant beatissimæ ejus morti interesse cupientes. Interea restitutus sibi fuit Sanctus Pater, aperiensque oculos rogavit ut omnes discederent, eò quod hora transitus sui necdum advenisset.

Dimissis



Dimissis omnibus petiit à medico Infirmarius, quidnam in crastino sumpturus esset; quod audiens Ludovicus clamavit, *non est necesse quicquam preparari*, sciens quia illo die moriturus esset. Die illucescente adsunt rursus omnes. Tunc vir Sanctus ad extrema tendens in arreptum manu crucifixum oculos affectuosissimè fixit, atque multis cum lachrymis osculatus est.

Inter hæc fortuitò laneam tunicellam, quâ indutus erat, aspexit, putans, quia candida erat, lineum esse indusium, moxque astantes Patres intuitus, petiit sibi interulam laneam dari; illis autem dicentibus ipsum subiculâ laneâ esse indutum, acquiescere nunquam voluit, donec ipsi grossior traderetur, cum lachrymis, clamans & dicens: *per amorem Dei, per viscera Christi Patres charissimi vos rogo, auferte à me hoc indusium, & reddite mihi tunicam S. Patris mei Dominici.* Indutus alia tunicellâ, sua ad Crucifixum suspiria continuavit usque ad horam nonam matutinam; qua appropinquante conversus ad Patriarcham alta voce clamavit. *Domine nunc discedo, impertire mihi tuam si placeat, benedictionem, & unam super me fac orationem.*

1360.



*mem.* Fecit id quidem Patriarcha, sed præ cordis teneritudine, & lachrymis vix potuit verbum pronuntiare. Dato signo rursus accurrunt omnes, legitur à Priore commendatio animæ in rituali præscripta, & cum ad illa verba ventum esset [*ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in secula seculorum,* & Conventus respondisset, *Amen,* sanctissima illa anima à corpore soluta migravit in cœlum, ibi cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto in æternum regnatura. Qua hora expiravit, lux ingens fulguris instar ex ejus ore egressa, totum cubiculum illuminavit, cælestesq; concentus auditi sunt. Insuper ex ejus corpore cælestis quidam odor emanavit, qui omnes mirificè perfudit, præcipue is, quem plaga ulcerosi illius crucis exhalabat.

Fuit vir Sanctus altæ & proceræ staturæ, facies ejus oblonga & gracilis erat, nasum habebat aquilinum, & capitis coronam mixti coloris. Hæc sunt quæ ad Sancti Ludovici statum passibilem, mortalemque pertinent.

CAPUT



*De Exequis Sancti Ludovici Bertrandi, &  
translatione corporis eius.*

**P**eractis quæ solēt erga defunctorum corpora fieri, charitatis officiis, cunctisque ex more compositis, qui inter cæteros sicut auctoritate, ita & humilitate eminebat, Illustrissimus Patriarcha Antiochenus, & Archiepiscopus Valentinus D. Joannes de Ribera, se ad Sancti viri pedes primus omnium prostravit, multisq; lachrymis optimi amici sui mortem abundè deploravit, cumq; inter Religiosos, quæ ad Sancti viri usum pertinuerant, veluti sacra spolia distribuarentur, ille Sancti Patris cingulum sibi reservavit, quod deinceps in maximâ veneratione habuit. Inde ad Ecclesiam sacrum corpus delatum fuit, & concurrentis populi devotione colendum, publicè expositum fuit, sed ad cavendam, quæ ex indiscretæ plebis devotione solet oriri, erga sacrum corpus irreverentiam, ( osculis enim non contenti vestium particulas abscindebant, inter quos unus digitum mordicus amputare non est veritus ] in sacristiâ delatum est; donec adesset vice-  
Regis



Regis custodia; qua præfente, & astante universa nobilitate, humeris præcipuorum Magnatum Regni Valentiaë rursus in Ecclesiam deportatum fuit, ac in supremo gradu Altaris collocatum, hinc & inde circumstantibus multis Religiosis accensas faces gestantibus, & protegente vice-Regali custodia.

His ita dispositis adfuit universum Ecclesie Cathedralis Collegium, cui successere duodecim Civitatis parochie, multique alii nobiles utriusque sexus personæ, sacro corpori cultum debitum, & honorem ordinatè exhibentes. Protracta fuit ea populi devotio usque ad horam nonam vespertinam; tunc plebe dimissa, clausisq; Ecclesie januis, facies ejus ad vivum delineata fuit cum his ex ore ejus procedentibus verbis. *Domine hic non parcas ut in æternum parcas.*

Alterâ illucescente die adfuit ad Ecclesie & Conventus portas innumerabilis utriusq; sexus hominum multitudo pulsantium & clamantium, ut sibi sacri corporis videndi, & osculandi copia fieret; quod ad sedandos clamores, & satisfaciendum populi devotioni necesse erat fieri; tamen ante cujusquam ingressum collocatum fuit sacrum corpus in  
loco



loco quodam eminentiori, ut ab omnibus facile conspicui posset, circumstantibus duodecim Religiosis, qui confusiones caverent, & Rosaria ejus sacro corpori applicarent. Ita traductum fuit matutinum tempus, & celebrata Missa pro defuncto eâ solenitate quâ fieri potuit, dilatis in commodiorem diem exequiis solemnioribus.

Itaq; Patres veriti ne ex tumultuariâ plebis devotione aliquod incommodum eveniret, quanquam vociferante, & reclamante populo, decreverunt ut sacrum corpus terræ mandaretur, quod & factum est, positâ supra fossam grandi tumbâ, donec populo absente vesperis perficeretur sepulturæ officium.

Verum non est prætereundum quod Sancti viri corpus, brachia, manus, articuli, cæteraq; corporis membra adeo flexibilia, & tractabilia fuerint, ut potius vivi hominis quam mortui speciem referrent, præsertim ejus facies, quæ angelicâ pulchritudine præ cæteris videbatur resplendere.

Elapso biduo jussit Archiepiscopus in Ecclesia nostra exequias celebrari ea solennitate, & magnificentia, qua solent illustriores Hispaniæ Principes honorari. Officium  
habuit



habuit Reverendissimus D. Michael de Spinosa Episcopus de Maroco. Interfuit quoq; universus Civitatis Valentinae Clerus. Concionem funebrem habuit ipsemet Archiepiscopus, sed prævalente inquietæ plebis (ut fieri solet) clamore, & tumultu, vix audiri potuit quid in Sancti viri laudem declamasset, non sine fortassis peculiari Dei dispositione, volentis eximii famuli sui merita, & adeptam gloriam, non humana voce, sed signis & portentis gloriosius declarare; nonnulla namque antequam ejus corpus terræ mandaretur, miracula contigerunt.

Et inprimis viri Sancti expertus est auxili-  
lium Casparus quidam Garri Valentinus, qui  
osculo manuum Sancti viri ab intolerabili  
foetore, jam ab annis 39. ex ejus naribus ex-  
halante, liberatus est. Item Speranza Tundo  
pedes ejus osculata, remedium stomachi in-  
dies copiosum sanguinè ejicientis, est con-  
secuta. Speranza Vincent à gravi capitis do-  
lore, & pustulis, tactu ejus capitis liberata est.  
Isabella Echerilles dextro orbata oculo vi-  
sum recepit. Arenosa vidua triennali sangui-  
nis fluxu fermè exhausta, vires, roburq; cor-  
poris recepit. Isabella Salome à plaga horri-  
bili,



bili, quæ ex ejus collo continuam saniem emittebat tactu manus Sancti viri, sanitatem recepit.

Itaque postquam honorificentissimè Sancti viri corpusculum sepulchro illatum fuit, cœperunt ad ejus tumulum ingentia coruscare miracula, quorum quadraginta tria unius anni spatio post ejus sepulturâ contigisse refert R. P. Balthasar Rocca; quibus motus Frater ejus Dominus Joachimus Bertrandus cum patribus nostris de magnifico in ejus honorem erigendo sepulchro, & sacri corporis ejus translatione deliberare cœpit.

Non displicuit ea res Domino patriarchæ ejusq; consilio. Quare ut majore devotione, & reverentia, ignorante populo, & sine tumultu ea translatio fieret, præstituta est huic solemnitati dies Annuntiationis B. Virginis hora serotina, anno 1582. à morte Sancti viri mense sexto. Sed cum id plebem latere non posset, turmatimque ad Ecclesiam convenisset, mutato consilio in alium commodiorem diem non festivum translatio prorogata est, atque celebrata, non tamen absque ingenti populi concursu, & magnificentia. Corpus sacrum omninò integrum, ac incorruptum



ruptum inventum fuit. Quatuor digiti à corpore amputati sunt, tres ab una manu, quartus ab uno pede, is scilicet, qui minimus est. Unus fuit à provinciali Romam missus Eminētissimo Cardinali Alexandrino Pii V. papæ nepoti. Alter divisus fuit in quasdam partes, quarum una cessit Serenissimæ Infanti Isabellæ, Eugeniz, Claræ Austriacæ, cum esset Valentiz anno 1586. Tertius mansit fabricæ Valentini Conventus in infirmorum subsidium. Quartum possidet Conventus quidam Ord. prædicat. Castellæ, potissima tamen quæ tunc facta est, reliquiarum distributio, fuit particularum ipsius habitus; translato enim in novum monumertū corpore, novo quoque habitu vestitus fuit; vetus autem cessit hominum devotioni.

Porro intelligens patriarcha quod D. Joachimus Bertrandus Sancti viri frater, peteret ut parentis utriusque ossa, propter multiplicia in vita, & post mortem à filio suo Sancto Ludovico obtenta beneficia, è parochia S. Joannis ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum transferrentur, & juxta sepulchrum S. Ludovici collocarentur, benignè annuit, & paulò post ea quoque translatio honorificè

EXECU-



executioni mandata est. Et hæc quidē sunt à mortalibus sacro Ludovici corpusculo exhibita venerationis obsequia. Videamus quàm festivos egerint dies hymnidici Angelorum chori; quàm pretiosa fuerit in conspectu domini mors Sancti Ludovici.

Egredienti de corpore obvius venit psallentium Angelorum chorus, auditi namque sunt cælestes concentus civium supernorū, qui beatam animam ad cælestia gaudia deducebant. Hujus rei testis fuit sanctitate clarissima soror Dominica Torres tertii ordinis S. Dominici, & nonnulli alii, qui cælestis hujus melodiæ participes esse meruerūt.

Properabat ad Conventum Prædicatorū D. Matthias Pallas Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, S. viri intimus amicus, ac priusquā ingressus esset, vidit ingentem e cælo fulgorem supra Conventum descendentem, cujus mysterium, mox ut valetudinarium intravit, ex morte S. viri cognovit. Testata quoque est soror Agulon de qua supra, vidisse se nonnullis ante mortem ejus, diebus, immensum e cælo lumen directè super ejus cellam delapsam fuisse. Sed & alia quædā devotissima persona die obitus ejus, vidit animam quan-

dam



dam corona aurea redimitam ab Angelis in  
 cælum deduci, atque in Ecclesia Prædicato-  
 rum parari fossam corpori, quod reliquerat,  
 sepeliendo.

Verum multò gloriosius revelata fuit San-  
 cti viri gloria Religioso cuidam Ord. S. Frã-  
 cisci. Hic persolutis nocte matutinis in ora-  
 tione positus, S. viri animam devotè Deo  
 commendabat. Tum ecce hujusmodi visio  
 oranti oblata est. Videbat Ecclesiã splendi-  
 dissimam, ex purissimo chrystallo constru-  
 ctam, auro mundo distinctam, miro fulgore  
 undequaque coruscantem. Raptus tam mag-  
 nifici ædificii admiratione, propius accessit,  
 ut insolitam ejus pulchritudinem, & decorẽ  
 cominus aspiceret. Vidit autem Ecclesiam  
 circumquaque nobili coloris nigri holose-  
 rico ornata, pavementum verò simili quo-  
 que stratum tapete, in medio cujus positum  
 erat corpus Sancti Ludovici, multis hinc &  
 inde aureis crucibus radiantibus; ad cujus  
 caput duo stabant venerabiles, ac senes Ord.  
 Religiosi; ad pedes verò duo itidem, sed non  
 ita provec̃tæ ætatis; inter quos hæc erat dif-  
 ferentia, quod qui capitis dextram tenebat,  
 è fronte, qui lævam, ex ore miri fulgoris ra-  
 dios

G.

dios



dios emittebant. Qui autem ad dextrum pedem stabat, abstractus videbatur suavissima contemplatione, & ex utraque ejus manu splendidissimi lucis radii procedebant: Alter verò manu suâ palmam gerens, suum è pectore lumen fundebat. Stupente autem optimo illo Religioso, & quatuor illos venerabiles sanctos Patres attentius considerante; ecce bini angelorum apparuere chori, candidos manibus cereos gestantium, & circa corpus, inauditâ mortalibus melodiâ cantantium *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt caeli & terra gloria tua* ô *Sanna in excelsis*. Quibus dictis innumera bilis utriusq; sexus, & ætatis hominum multitudo, ad tangendum & osculandum corpus sacrum confluit; cum verò ea populi devotio perageretur, suum quoq; continuabant Angeli cantum dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ô *Sanna in excelsis*. Quo finito visio illa disparuit, & Religiosus ad se reversus est. Non valens autem visionem illam interpretari, facto mane petiit ab aliis, num scirent qualiter cum Patre Ludovico Bertrando ageretur; sed cum ob Conventus ab vrbe distantiam non posset certum

de



de illo habere nuntium, à P. Guardiano licentiam petiit eundi Valentiam, quâ obtenta dubius hæsit, num deberet Patribus Prædicatoribus visionem aperire, sed consilio accepto à suo Confessario, iussus est eam omnino in testimonium sanctitatis Sancti Ludovici revelare; ac veniens ad Monasterium totam visionis seriem, P. Hieronymo Baptistæ de la Nuza Provinciali, viro valdè exemplari, & P. Magistro Vincenzio Justiniano Antistio exposuit, qui facilè etiam cognoverunt quatuor illos venerabiles Patres, fuisse Sanctum Patrem Dominicum, sanctum Vincentium Ferrerium, sanctum Thomam Aquinatem, & sanctum Petrum Martyrem.

## CAPVT XIX.

*De apparitionibus gloriosis, & revelationibus, quibus Sancti Ludovici beatitudo demonstrata est.*

PRÆter eas, quas eas jam retulimus, nonnullas alias visiones habuit felicissimæ memoriæ, & maximæ apud omnes sanctitatis vir Nicolaus Factor Ord. S. Francisci,

G 2

qu



quæ quia maximi ponderis sunt, & plurimum ædificationis spiritualis adferunt, operæ pretium fuit eas seorsim in hoc capite collocare. Non intermisit vir optimus sicut viventē, ita & vita functum singulari veneratione, & cultu amicum suum Ludovicum Bertrandum honorare. Aderat ille solemnissimis ejus exequiis, atque inter illas, sensit extraordinariâ quadam cor suum suavitate perfundi, quod futuræ cujusdam extasis indicium esse conspiciens, in quadam dormitorii cellulam se recepit, ubi repenti sesquihora mansit omnibus sensibus destitutus. Ita viderunt plures graves, & præcipui diversorum Ordinum Patres, qui illius raptus finem avidè præstolabantur; inter quos erat Reverendissimus Pater Generalis Ordinis de Redemptione Captivorum Franciscus Maldonado. R. Pater Magister Michael Salon Prior Conventus Augustinianorum, Reverendus Pater Georgius Oliverius Commendator Conventus Valentini Ordinis de Redemptione Captivorum, R. Pater Matthæus Figueroa celeberrimus Prædicator

Orde



Ord. S. Augustini, & plures alii cum nostris Patribus rei eventum expectantes. Interea elapso quasi sesquihoræ spatio sibi restitutus est P. Nicolaus, atque multa prout spiritus dabat, eloqui cœpit, modò latinè, modò Hispanicè, ex quibus adnotatus, confectusque fuit sequens discursus.

*O Sancte Ludovice dilecte Deo, & hominibus, nunc, nunc facie ad faciem Deum contem-  
plaris; nunc abstergit Deus lachrymas ab oculis  
suis, & iam non est amplius, neque luctus, neque  
clamor, sed nec ullus dolor, quia priora transie-  
runt. O quàm festivus tibi calos ascendenti ob-  
vius venit chorus Angelorum! non sunt passi  
ut inter eos collos averis, sed omnes tibi dix-  
erunt: Amice ascende superius. Idem tibi dix-  
erunt Archangeli, Virtutes, Potestates, Prin-  
cipatus, Throni, & Cherubim. Ascendit super Che-  
rubim & volavit, volavit super pennas ventorū.  
Iam iunctus es Seraphinorū choris cum sancto Pa-  
tre tuo Dominico, S. Francisco, & S. Vincenzio  
Ferrerio; Ab ibi flagras amore, particeps factus  
in eternū visionis beate. Iam tibi nota est scho-  
lastica questio, an amore Dei, an visione es-  
sentialiter eterna felicitas habeatur. Audio te  
cum*



cum David canentem; sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri in monte sancto eius. Audio te cum sponsa dicentem: Introduxit me Rex in cellam vinariam; ordinavit in me charitatem. Iam videris mihi absorptus in illud vastissimum divinitatis pelagus. O quàm similis factus es Beato Iordano! qui tempore suo tot aggregavit ordini Religiosos, sic tu quoque in Religione fratres, educaisti, arbores vivas plantasti, quae tempore suo fructum adferent centesimum. Non ego te impostereum fratrem, sed Sanctum Ludovicum appellabo.

Postquàm autem hæc spiritu extatico plenus dixisset, cœpit invocare S. Dominicum S. Petrum Martyrem, S. Antoninum, S. Thomam Aquinatem, S. Vincentium Ferrerium, deinde concludens dixit. O S. Ludovice Bertrande ora pro me, qui iam cum illis conversaris. Verè bene dixeras quod non ultra concionaturus esses. Seculares diviserunt sibi vestimenta tua, & tuis gavisi sunt reliquiis. Fratres tui quid ad te accipient? quid eis relinques? reliquisti eis utique tuæ humilitatis & sanctitatis exemplum. O quàm humilis eras S. Ludovice! quando rogabar à meis, ut te infirmum visitarem, confiteri me prius oportebat, sciens



sciens quis esses tu, & quis ego, & tamen preces à me exigebas, & iubebas ut ego super te orationes aliquas facerem. Recordare quod adhuc vivens duo mihi promiseris, unum iam prestitisti, restat ut alterum non deneges. Sancte Ludovice omne promissum cadit in debitum, exspecto tue promissionis effectum. Nobiliores sunt coeli incolæ, quàm ut fidem datam observare recusent.

Hæc sunt quæ ex Patris Nicolai verbis haberi potuerunt; quorum postrema indicant, duo fuisse ei à S. Ludovico promissa, nempe ut de suo statu eum certiore faceret; alterum ut ipsi revelaret, num etiam beatitudinẽ æternam ipse consecuturus esset. Horum primum in illâ extasi manifestè cognovit, & est admodum credibile quod etiam de altero certior factus sit, nam necdum, plenè sibi restitutus gaudio exultans dixit. *O quàm sum contentus! quàm benè dixit Apostolus, gaudete in Domino, iterum dico gaudete! moderanda tamen est, ô Deus, letitia, quia etiam Apostolus tuus dicit, Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* His dictis integrè sibi redditus fuit, & astantes circumspiciens dixit Reverendissimo P. Generali



Ord. de mercede Redempt. Captivorum.  
*Pater Reverendissime sanè defunctus iste ve-  
 rus frater erat. quid! non creditis tales in ve-  
 stro Ordine reperiri? immò certè dubium non  
 est, quin etiam inveniantur. Ordo vester, què  
 S. Raymundus pro Redemptione Captivorum  
 fundavit, pro iisdem animas suas ponere te-  
 netur, sicut & Dominus noster Iesus Christus  
 pro nobis captivis animam suam ponere digna-  
 tus est. Et videns quempiam fratrem sanum  
 & incolumem transeuntem, eum ad se voca-  
 vit, & coram omnibus dixit illi, ut se ad  
 mortem præpararet; qui verba ista non æ-  
 stimans, primus tamen post mortem San-  
 cti Ludovici naturæ debitum exsolvit.*

Peractis huiusmodi, alisque discursibus,  
 rogarunt eum Patres, ut pro refectioe ali-  
 quid sumeret, erat enim ferè tertia pomeri-  
 diana, quibus ille respondit. *Ah quis pro reso-  
 cillatione tale aliquid mihi dabit, quale præsti-  
 tit frater meus Ludovicus? Coactus tamen  
 à patribus ad refectorium venit, & transiens  
 cellulam S. Vincentii paulisper ibi substitit,  
 dicens: O si me Deus eo favore dignum face-  
 ret, ut ingressus hanc domum, morerer in hac  
 cella, sepeliretque ad pedes istius altaris, ubi*  
*tories*



toties S. Vincentius genua sua flexit, & Sanctus Ludovicus toties Missam celebravit. Non fuit ei permissum diu ibi suspirare, sed ut spiritum non nihil reficeret, ad refectoriū quasi tractus venit, & digito locum quemdam monstrans rogavit, ut permetteretur ibi comedere. Causa ea erat, quòd aliquando mensæ nostræ assidens singulari Dei favore vidisset eo in loco S. Dominicum, & S. Vincentium Ferrerium; cujus quoque dudum præteritæ, ac dulcissimæ visionis recordatione denuò omnibus spectantibus lapsus in extasin, & ad se reversus multa de eorundem sanctorum gloriâ palam locutus fuit. Hujus visionis monumentum perpetuum est tabella pendula in sinistrâ parte mensæ superioris cum hac inscriptione: *Venerabili Patri Nicolao Factori, dum hic cibum sumeret, apparuerunt Sancti Dominicus, & Vincentius Ferrerius.* Tandem sumpto modico cibo ad suū Conventum reductus est, ubi ferè triduo inesus mansit nihil manducare valens, saturatus eo ferculo, quod à Sancto Ludovico acceperat. Ab eo quoq; tempore, nempe biennio & bimestri, quo superstes vixit, variis apparitionibus Sancti Ludovici recreatus fuit,

G s

ob



ob idque non cessavit ejus laudes, merita, & gloriam publicè, & privatim, ubicumq; se occasio offerebat, deprædicare.

Retulit quoque idem P. Nicolaus cuidam Doctori Regis Consiliario, quandam sibi à Sancto Ludovico singularem gratiam procuratam fuisse, priusquam autem eam adeptus esset, frequenter apparuisse sibi amicum suum Ludovicum, *sed* [ ut dicere solebat ] *non sine glorioso Patre meo Dominico, & Domino meo S. Vincentio Ferrerio.*

Decumbentem quadam vice invisit illum Venerabilis P. Dominicus Anadon cum Patre Subpriori, quibus arcana multa revelavit, & inter cætera aves illas varii coloris, quas die Paschatis Sanctus Ludovicus viderat, angelos fuisse affirmavit. Ob insignem verò devotionem, qua ferebatur erga Sanctum Ludovicum, digitum ipsius ei obtulerunt ut disfluviaretur, & cupientibus aliquid secreti de S. Ludovico cognoscere, dixit: *Veni quadam vice ad vestrum Conventum, ut à fratre meo Ludovico aliquid intelligerem, cumque nihil mihi significare vellet, peteremque ab eo, num saltem ego salvus futurus essem, lenta & gravi voce respondit mihi, ita, ita, ita.*  
Dili-



Diligebat pater ille optimus vehementer Ordinem nostrum, & æquè nostri, ac sui Ordinis sanctos, inter quos tamen singulari veneratione colebat S. Dominicum, & S. Vincentium Ferrerium, quorum ubique merita commendabat, & suadebat infirmis, quos visitabat, ut pro recuperanda sanitate S. Vincentii opem speciatiim invocarent; quod cū non parùm molestè ferret quidam ejus socius, cupiens potius S. Bonaventuram, vel S. Antonium de Padua hominibus commendari, dixit illi: *Frater mi esto pacato animo, nescis quia in celo, omnes eiusdem ordinis erimus, & unius habitus?*

Aliâ vice inventus fuit à fratribus ante quoddam altare totus abstractus, & absorptus in Deum, sibi que redditus dixit illis: *Videbam iam Patrem meum S. Franciscum, & Patrem meum S. Dominicum, & in medio eorum amicum meum S. Ludovicum. Quid! subjunxit, etiamsi non eundem habitum gestemus, ergone omnes fratres non erimus?* Dicebat autem hoc ad abolendas quorundam æmulationes, qui alterius instituti Religiosos infra sui Ordinis fratres diligebant. Hanc ob causam Pater ille venerandus multis sanctorum



etorum Ordinis nostri apparitionibus fuit honoratus, & binâ vice dignus habitus, qui miraculosæ imaginis B. Virg. ( quæ Madriti in Conventu nostro de Atocha summam habet venerationem ) alloquio frueretur.

Sunt & aliæ plures Sancti Ludovici apparitiones diversis personis factæ, quarum aliquas breviter perstringam.

Domina Isabella Magdalena de Borgia filia Ducis Gandiæ, tunc celeberrimi Monasterii S. Claræ Abbatissa, coram testibus deposuit S. Ludovicum 14. Februarii Anno 1582. cuidam sorori Margarethæ Satèlas pro voto illi factò, apparuisse, dixisseq; non supervicturam ipsam, sed ad cælos brevi vocandam, quia ita à Deo decretum esset, nihilominus ut certò ita futurum esse constaret, ad petitionem Margarethæ quam dixi, ejusdem S. viri benedictione duas alias sorores, nempe sororem Marianam Figverolam ( cui erat alioquin resecandum brachium ) & sororem Tamaridem diuturnâ feбри laborantem, pristinæ sanitati fuisse restitutas.

Domina Isabella Joanna de Valguarnera Reverendissimi D. Josephi Stephani Episcopi de Origuela mater, biduo ante suam

mor-



mortem, quæ fuit 24. Novemb. 1584. testata est S. Dominicum, S. Vincentium Ferrerium, S. Ludovicum Bertrandum, & felicis memoriæ Joannem Micon cognatum suum sibi apparuisse, atque ad cœlestis vitæ gaudia invitasse; at cùm diceret ei filius D. Vincen-  
tius Stephanus Canonicus de Segora, non esse facilè fidem adhibendam ejusmodi apparitionibus, respondit se Patris Joannis Micon faciem distinctè cognovisse, & sub hac visione sæpiùs nomen Jesu inclamasse.

Quædam Joanna Anna Ragoy voverat ingressum Ordinis tertix regulæ S. Domini-  
ci, sed non ausa cuiquam votum suum aperire, ex mœrore in febrim incidit, non sine manifesto vitæ periculo. Interim spe concepta, sanctorum Ludovici, & Vincentii opem implorat, qui apparentes candidum Ordinis habitum ei demonstrârunt, monentes ut recuperatâ valetudine quamprimùm voto suo satisfaceret.

Domina Anna Ludovica periculosè variis per totum ferè corpus carbunculis laborabat. Monita ut S. Ludovico se commenderet, cùm parum ejus miraculis crederet, maluit S. Catharinæ Virg. & mart. opem postulare;



lare; nocte tamen cum se illi commendasset, apparuit ei S. Ludovicus dicens: *Ego sum frater Ludovicus Bertrandus*. Illa oculis aperiens vidit quendam fratrem Ordinis Prædicatorum ingenti lumine circumdatum, sibi-que benedicientem; atque subito ruptis carbunculis sanitatem recuperavit.

Verum ne prolixior sum, omisissis aliis apparitionibus, unam referam, quæ processui Beatificationis ejus inserta est, & sic habet:

Erat Valentia nobilis Dominus pietati ac devotioni vehementer addictus, Wilhelmus Raymundus Catalan, qui ob vitæ integritatē inter nobiles, & Regalis aulae Proceres, opinione sanctitatis merito clarus habebatur. Hic agenti inter vivos Ludovico familiarissimus fuerat. Piè ergo, instanterque amici sui opem invocare decrevit, & subito decumbenti amico adest Ludovicus simul cum Virgine Deiparâ, S. Dominico, & S. Vincentio, consolantur infirmum, & bono jubent esse animo. Ingravescente morbo adsunt iterum iidem, qui prius, cum multis aliis Ordinis nostri sanctis, lectumque decumbentis ambientes, sanctorum Litanias pro agonizantibus diei consuetas recitant. Dum hæc leguntur,

tur,



tur, advertit nedum eorum nomina, qui ex Ordine nostro sanctorum catalogo adscripti sunt, exprimi, verum etiam plurium aliorum qui cum opinione sanctitatis ex hac vita migrarunt, ut Pii V. Dominici de monte majori, Amatoris Espi, Joannis Micon &c. His ita ferè peractis, ecce ingreditur S. Nicolaus Tolentinas, cui toto vitæ suæ tempore devotissimus extiterat, & exhibita ei à beatis illis magnâ reverentiâ, juxta S. Dominicum collocatur.

Conspiciens ergo vir nobilis se in tam augusto sanctorum consortio constitutum, rogavit ut pro recuperandâ sanitate Deum precarentur, non quod vitæ longioris usurâ delectaretur, sed pro suæ conjugis, proliumq; majori subsidio. Displicuit ista petitio sancto Ludovico, atque contra eum non nihil motus fuit; sed cum ex Beatis illis divinæ voluntatis beneplacitum ægrotus intellexisset, in sententiâ mortis suæ libenter cōsensit.

Constitutus igitur in agone, repenti vehementi paroxysmo correptus jam jam spiritum redditurus credebatur, sed cum necdum cederet natura mortis imperio, non nihil sibi restitutus fuit, nonnullis signis sub-

indicans



indicans quosdam sibi a stare è cælo beatos. Interrogatus quid hisce signis vellet, num fortè amicus ejus adesset Ludovicus, innuit ita esse, & similiter alium quoque ab altera parte sibi assistere. Quæsitus, num fortè is S. Vincentius esset, dato signo eum ipsum esse indicavit. Aspersa autem hinc & inde aquâ benedictâ, veritus Pater Vincentius Catalanus filius ejus ( quem ante quatuor annos investierat Sanctus Ludovicus, & Patri morituro assistebat ) ne forsan illusionem aliquâ deciperetur, petiit num sancti illi recessisset; cognito que eos non recessisse majore timore correptus est; unde Patrem exhortatus, ut ad abigendos spiritus malignos, si qui fortè adessent, in suo corde proferret sacra illa verba. *Verbum caro factum est.* Ille, qui loquelam prius amiserat, magna voce clamavit: *Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratie & veritatis.* Pater autem Catalanus cum ulterius Patrem suum urgeret, ut præciperet eis dicere: *iesu Christe fili Dei vivi miserere nobis;* respondit, id non esse necessum, cum apertè satis constaret, eos non tenebrarum angelos, sed cælestis patriæ cives, & incolas esse, à qui-



à quibus ad æterna gaudia invitaretur. Quæ-  
 rentibus rursum aliquibus, cur ergo tam diu  
 agonizaret, & non unà cum illis in cœlum  
 abiret, respondit se circumstantium preci-  
 bus retardari, qui cùm pro ipsius vitâ longio-  
 re, & sanitate Deum orarēt, ille eorum preces  
 exaudiebat, quantum ejus, pro quo roga-  
 bant, salutis noverat expedire; His dictis de-  
 ficiente paulatim spiritu felicem animam ex-  
 halavit. Hæc omnia evenerunt quemadmo-  
 dum adhuc vivens Sanctus Ludovicus eidem  
 eventura præfagierat, cùm enim quæ triduo  
 ante mortem Sanctum Ludovicum visitaf-  
 set, seque ejus precibus commendasset,  
 dixit ei vir Sanctus. *Domine noli esse solli-  
 citus, vade in pace, opem meam suo tempore  
 experireris.*

Pro hujus Capitis coronide restat ut  
 Patris Nicolai Factoris epistolam  
 S. Ludovico scriptam refera-  
 mus, quæ sic habet.



Admo-



*Admodum dilecto meo Patri, Fratri Ludovico Bertrando in Conventu Predicatorum.*

JESUS MARIA.

*Mi Sancte in vulneribus Iesu Crucifixi.*

**G**Ratia, amor, & charitas spiritus sancti morentur in anima Tua charitatis, & angelicum pectus tuum inflamment amore dulcissimi Iesu. Hac ipsa hora, qua legebam in S. Antonino devoto meo Historiographo, de raptuum, & extasum gratia angelici Doctoris S. Thoma, cum haberem occasionem scribendi hanc epistolam, per hunc, qui eam defert, gratias tibi ago, mi pater, pro humanitate, qua me charitas Tua in ista sancta ade excepit. Deus mihi testis est, quod cum ea sinceritate, dilectione, & affectione ibam, qua semper Tua charitatem invisi, & contra meum Bertrandum non intravit in animam meam suspicio, vel aliud quid, quo turbari illa potuisset. Quia neque Domino patriarcha, nec alteri cuiquam querimonias dedi, nec doloris aliquem sensum ostendi, nec inimicitiam erga ullum, nec fidem dedi alicui dicenti, quod contra me pro concione declamasses. Nam si res etiam ita haberet, acceptarem tanquam spirituale exercitium; & sic dico Tue charitati, quod est amica Deo. Itaque



que ex sancto illo vestro Conventu maiore cum devotione sum egressus, quàm ingressus, & gavisus fuisssem, si me consignasses sancti Patris mei Vincentii Ferrerii reliquiis. Et videbatur charitas Tua me declinare, & facile credo, quod angelus fugit demonem, qualis ego sum, quin & peior demone, & abominabilior.

Et cum Tua charitas suam erga me nonnihil asseveravit frontem quando in vestro sancto Refectorio comedebam illud caput piscis, advenit mihi solatium sancti mei Patris Domini, & sancti Vincentii, quod non fuit exiguum Ad magnam Dei gloriam dico, intellectualis ne fuerit, an corporalis ea visio, Deus scit. Pater, pater, pater, quid times? Ne timeas pater. Deum habemus, & illius veritatem, & non habemus, quod timeamus. Et quid hoc dicam? malumne est docere homines, ut cogitent Deum, & continuam habeant illius memoriam, & illo gaudeant anime? an est res suspecta? Non mandet Deus, ut quis ita sentiat. Charitas Tua Catholica est, & servus Dei. Rogemus Deum, ut nos custodiat, & sua manu sustentet. Quod ad me attinet, queso obsecra Deum, ut me servum suum faciat, & contra me predica quod sum demonium. Gratias Deo, quod



quod quidam P. Magister in Conventu S. Francisci quinquies me coniuravit; Et charissimus meus Bertrandus me fugit. Vnum velim mihi credas, quod quando te invisere volo, prius confiteri debeo.

Nisi fidem haberem apud sanctum patrem meum Vincentium Ferrerium, & illius erga me benevolentiam perspectam haberem, quod irem? spero quod meus Dominus S. Vincentius non erit erga me ingratus, quia sancti ingrati non sunt. Pater, pater, pater, cur me despicis? quare me fugis? Ego quotidie veniam te invisum, & fruor tuâ gratiâ, & si nihil à te obtinero, est apud vos sancta illa porta, cuius custos ( P. Dominicus Anadon ) me tanquam pauperem non repellet. Et quando minime putabunt, me videbunt inter pauperes comedentem, quia bene mihi sapiunt, quæ ibi incibum erogantur. Hodie obtuli Deo vitam Iesu Christi ex flagris, ut te sanctificet.

Admodum contentus veni & gaudibundus, quod canaverim in contubernio tot angelorum, quot habet illa sancta domus. Mihi videbatur quod essem satan inter filios Dei. Ora pro me Deum sancte Ludovice Bertrande.



*de. Cras est festum tui, nec non mei sancti  
Tui in Domino Iesu Crucifixo  
Hic abominabilis draco inferni  
F. Petrus Nicolaus Factor*

## CAPUT VLTIMUM.

*De Beatificatione, & Canonizatione Sancti  
Ludovici Bertrandi.*

**C**rescente in dies populi erga virum sanctum devotione, & coruscantibus ad eius sepulchrum, & in variis Regnorum provinciis, miraculis, visum est Consulibus, Rectoribus Civitatis Valentinae 29. Novemb. anno 1582. Archiepiscopo supplicare, ut factâ legitimâ super miraculis informatione, ad augendum fidelium devotionem, Canonizationem Sancti viri in Curia Romanâ sollicitaret. Non displicuit Patriarchæ justa petitio, moxque cura illa Reverendissimo Domino Michaeli de Spinosa Episcopo de Maroco ob raram viri prudentiam, & pietatem demandata est. Inquisitio, quæ intra biennii spatium super hac re facta est, adeò solida gravisque reperta est, ut viginti canonizandis sanctis sufficiens videretur.

Itaque ablegantur Romam ad Gregoriam

rium



rium XI II. qui suæ Sanctitati canonizationis causas proponerent, Admodum Reverendus P. Joannes Bru de S. Magdalena Ordinis Præd. & D. Joannes Baptista Vives Archidiaconus de Alcyra cum Regiis diplomatis Philippi II. Acceptata fuit quidem à Gregorio ista petitio, sedis gravissimis Ecclesiæ negotiis præpeditus, priusquam huic operi manum apponeret, è vitâ excessit. Succedente Sixto V. Papâ, jussu Philippi II. res illa rursus ex parte Regis ab Illustrissimo Legato D. Henrico Guzman Comite de Olivarez, ad suam sanctitatem delata est; qui eâ de causâ cum deputatis in vigilia S. Joannis Baptistæ anno 1586. favorabilem audientiam habuit, astante Cardinalium collegio, & perorante super vitâ, morte, & miraculis S. Ludovici Eminentissimo Cardinale Antonio Caraffa, & habito super quæstione proposita consilio, examen processus commissum fuit à sua Sanctitate sex Cardinalibus ex urbe, & tribus prælatis ex Regno Valentia, nempe Archiepiscopo Valentino, Episcopis de Tortosa, & Tervallo. Accepto Brevis pontificio sedulam fieri inquisitionem mandante, Rex Philippus præfatis tribus Præla-



tis scripsit, monens ut huic operi non segniter incumberent, qui commissam sibi curam minimè negligētes, auditis plurium hominū testimoniis, visitato S. viri sepulchro, & habitis sufficientibus informationibus, processum canonizationis debitè, & legitimè formatum Romā miserunt, adjunctis Regis Catholici ad suam Sanctitatē, & suum Legatum literis, quæ eousq; Sixtum V. permoverunt, ut & processum approbarit, & aliud Breve expedierit 21. Martij 1590.

Interea interveniente Sixti V. Papæ morte & electione Urbani VII. atq; etiā paulo post subsequente ejusdem morte, aliisq; negotiis res illa ad annum 4. Clementis VIII. delata fuit. Interea crebris Philippi II. litteris admunitus Comes de Olivarez id apud Sedem Apostolicā tandem effecit, ut expedito à sua Sanctitate alio Brevi Pontificio, ad examinādam rursus vitam, mortem & miracula S. Ludovici, octo Cardinalibus, & quatuor Episcopis ex Regno Valentiaē cura commissā sit. Hi fuere Archiepiscopus Valentinus, Episcopi de Sobriga, de Maroco, & de Oriola; qui commissæ sibi curæ gnaviter incumbentes processum trecentorum & amplius hominum

minum



minum testimonio, suisque propriis sigillis muni-  
erunt. Quia verò rei, & expeditionis gravitas virum  
singulari prudentia, & virtute præditum exigebat,  
qui suæ Sanctitati processum deferret, & in Curiâ  
Romana Canonizationem S. Ludovici promove-  
ret, deputatus fuit R. P. Ludovicus de Istella, vir  
integritate vitæ clârissimus. Hic Valentiam discessit  
anno 1599 munitus Regiis litteris, quas unâ cum  
processu Canonizationis Clementi VIII. præsen-  
tavit; sed universam causam Cardinali Jesualdo  
supremo rituum Commissario ille commenda-  
vit. Verum propter varia Ecclesiæ negotia, &  
Canonizationem Sanctorum Ordinis nostri scili-  
cet S. Hyacinthi, & S. Raymundi, & Beatificati-  
onem B. Agnetis de monte Politiano, communi-  
bus Hispaniæ votis omninò satisfieri non potuit.  
Interea desit esse inter vivos Clemens VIII. cui suc-  
cessit Paulus V. Hic quoque non valens solemniter  
eiusdem Sancti Canonizationi intendere concessit  
ut dictus Ludovicus Bertrandus Beatus nuncupari  
posset, & de eo singulis annis 19. Octobris offi-  
cium, & Missa de communi unius Confessoris  
non Pontificis celebrari. Tandem à Clemente X.  
Pontifice Maximo relatus est in Sanctorum nume-  
rum cum Sanctis Rosâ de S. Mariâ, Francisco Bor-  
gia, Gaetano Tienco, Philippo Benitio anno  
1671. die 12. Aprilis, cujus solennitatis  
prolixam descriptionem altera e-  
ditio post hæc dabit.

FINIS.



i-  
m  
t,  
â  
ir  
it  
m  
n-  
lo  
a-  
x  
i-  
i-  
i-  
t.  
Co  
-  
it  
un  
i-  
is  
X.  
c-  
L

103  
104  
105  
106  
107









4078  
118

ULB Halle

3

006 567 665




VD 77









Compendium Thaumaturgæ Vitæ  
**S. LVDOVICI  
BERTRANDI**

Ord. Prædicatorum, India-  
rum Occidentalium Apostoli;

Quem CLEMENS X. 12. Aprilis  
hoc Anno M. DC. LXXI. publico  
Canonizationis ritu, Sancto-  
rum Catalogo inscr-  
ipfit:

Adornatum, & ex Gallico idiomate, pro  
communiore, ac commodiore usu,  
in linguam Latinam transf-  
latum

Operâ, & labore

R. P. HYACINTHI CUNIBERT  
Ord. Prædicatorum S. Theologiæ  
Licentiati, ac Professoris.

COLONIÆ,

Typis PETRI STEINBUCHEL. Anno 1671